

Georg Schede


**Absalon Parricida, Exul, & Redux, hoc est, Actio De Absalonis, ob parricidium in Amnone Fratre patratum, à Davide Patre proscripti exilio; & revocatione, Eloquentià Thecoinae, consiliis Joabi instructae ... Secundò praesentibus Viris praeclaris repraesentate ...**

Rostochii: Richelius, 1645

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728904853>

Druck Freier  Zugang





H. M. Casius

~~Dops. v. MK - 3776~~

~~ist zu dem neuen lat. Diph-~~  
~~to. f. u.~~

~~nur gewissh. f. amylar ist~~  
~~in Mecklenb. inter~~

~~MK - 3776~~

~~eingetragen, was im~~  
~~Catalogo zu besorken~~

~~Lq - 3701<sup>1-3</sup>~~  
~~C. II. f. 2224<sup>1-3</sup>~~

# ABSALON

Parricida, Exul, & Redux,  
*hac est.*

## ACTIO

De ABSALONIS, ob  
parricidium, in AMNONE Fratre  
parratum, à DAVIDE Patre proscripti  
exilio; & revocatione, Eloquentiâ THE-  
COINÆ, consiliis JOABI instru-  
ctæ, conciliatâ;

*Consiliis utrò citroq; à Purpu-  
ratis habitis disceptata, Utilissimis Politico-  
rum Quæstionibus latentèr perspersa, &  
optimarum salæ sententia-  
rum condita,*

Secundò præsentibus Viris præ-  
claris repræsentata, demumq; in Scho-  
larum & Studiosæ Juventutis  
usum publicata.

M. GEORGIO SCHEDIO,

Scholæ Güstrov. Rectore.

ROSTOCHI

Typis Johannis Richelii, Sen: Typogr. 1645.



*Nobilissimis, Magnificis, Amplissimis  
& Consultissimis*

VIRIS

DN. JOHANNI COTHMANNO,  
JETO. celeberrimo, Sacri Lateranensis  
Palatii, Aulæq; Cæsareæ & Imperialis  
Consistorii COMITI, Illustris.

Megap. Princ. CANCELLARIO  
gravissimo.

*Nec non*

DN. LAURENTIO STEPHANI,  
J. U. D. Duc. Megap. Consiliario, Can-  
cellariæ Gustroviensis Directori, Acad.  
Rostoch. Professori, & Facultat.  
Juridicæ Seniori.

MUSAGETIS suis ἀιδίως ἔχ' δειότως  
honorandis

Salutem & Pacem, cum auspicio Novi  
ANNI felicissimo, à vero & unico Pa-  
ci PRINCIPE CHRISTO JESU.

**N**obilissimi, Magnifici, Amplissimi  
Viri, inter Disciplinas, quæ hominē  
à brutis distinguunt, *Eloquentia* non est

po.

postrema, quæ perhibetur *Facultas sapienter & ornate de Religione, de Republica, de aliis Artibus & Facultatibus, deq; iis, quæ sub cælo, imò in cælo, in ipsa terra, & subter eam sunt, differendi.* Celebrat enim laudes Dei; regit Imperia; Principum consilia, quò spes non erat, dirigit; voluntates populorum ac gentium inclinât; & vel languentes incendit, vel inclinatas revocat ac sedat, arma è manibus Civium iratorum extorquet; vitiorum robur frangit, virtutes debitis ad astra encommiis evehit; animum, dum hîc versamur, à corpore disjungit; finem demùm bonum ab exitioso distinguit. Hanc ut genus humanum, cujus est ex omnibus creaturis propria, ἐκ νεότητι summo studio veneretur, alterum illud ab Homero Grajæ Poëticæ lumen καὶ ποιητῆς πάντων μάλιστα εὐεβόητι Euripides haut inconcinne allicit, ita canens:

Quid disciplinis, dignum ut est, in ceteris  
Sudamus, atq; singulas inquirimus:  
At non viis Svadelæ, quæ mortalibus  
Regina sola est, examusim insistimus,  
Datoq; pretio discimus, quo, quæ velis  
Ea quisq; persuadere & assequi queat.

Prisci, ut hujus vires cunctis dispa-  
lescerent, sub pulchello Emblematis  
hominibus, cerebrum non planè om-  
ni sale vacuum habentibus adombra-  
re voluerunt. Pinxere quendam Se-  
nem in occipitio calvum, exuvias leo-  
nis indutum, dextrâ clavam, sinistra  
arcum tenentem, femur verò phare-  
trâ sagittis refertâ armatum; Filis in-  
supèr tenuissimis, extremo linguæ a-  
plici affixis, infinitam hominum mul-  
titudinem, animis sollicitam, auribus-  
que suspensam, ad se trahentem. Quo  
simulacro hieroglyphico innuebant  
vim illam ornatè, copiosè, probabili-  
tèr & sapientèr de quacunq; re dicen-  
di, non cuivis ignavo obtingere;

ὁ δὲν πρὸς ἄλλοις ἔτυχεν ἡωρὴς πίνυς:

Sed

Sed ad annos & iudicii maturitatem  
requiri arduum ac indefessum laborē;  
nec citra quidem singularem Dei pro-  
videntiam, ne videlicet ignavissimus  
quisq; laboris & industriæ brabea de-  
portaret, solis gnavis & industriis de-  
stinata; aut eadem planè tollerentur,  
si viarosis strata ad eandem duceret.  
*Afranius* quidam, ut *Sabellius* refert,  
*Philosophus Car: hagine non in postre-*  
*miis*, cū interrogaretur: quidnam  
sciret? *Benè*, respondit, *scio loqui*: In-  
terrogatus iterū: *Ecquid didicisset?*  
*didici*, *regeffit*, *benè loqui*. Porro in-  
terrogatus: *Quid doceret?* *nihil*, *asse-*  
*ruit*, *doces aliquid, nisi benè loqui*. *Ecquid*  
*novisset aliud?* interrogatus: *Antè di-*  
*ctis in fasciculum collectis, nil*, jam o-  
*ctogenarius*, & propediem naulum  
*Charonti peribolurus, vel didici, vel*  
*cognovi, vel docui, præter benè loqui,*  
respondit. *Laus hac palmata, tanto Phi-*  
*losopho digna, digna omnium acclama-*  
*tionē, & amore!* Porro de hac vi ex-  
cellenti & consummata Eloquentia mi-  
nimè



nimè hîc dico; sed de studio saltem re-  
ctè dicendi, seu formandæ latinæ ora-  
tionis, suis partibus constantis, & ritè,  
ut præcepta Rhetoricæ requirunt, dis-  
positæ, quæ tantùm pars est Eloquen-  
tiæ, & velut ἀναρχή, quam promo-  
vet sermonis copia, phrasium delectis,  
assidua Scriptorum, qui hac in parte  
clari vel jam sunt, vel olim fuerunt,  
lectio, & relectio; frequens styli exer-  
citatio; rerum thema, de quo disseri-  
tur, concernentium, prudens indaga-  
tio & meditatio. Neq; enim vel *Rhe-  
tores vel Poëta* apud nos ita nascuntur,  
ut quondam apud Romanos, quibus  
Latina lingua pro materna erat. Cum  
lacte matris imbibebant quasi elemen-  
ta; ab lactati, ut primùm vale dixerit  
balbutiei, purè loqui vel matre ipsâ,  
vel pædago, in hoc ipsum redem-  
pto, verba illis & modum loquendi  
præeunte discebant. Mox assuesce-  
bant præceptis. Et qui poterant Alu-  
miniâ puro loquendi idiomate descen-  
scere,

scere, cum nemo distortè, omnes pu-  
rè ac tersè loquerentur? Nobis quan-  
to labore, quantoq; sudore hæc omnia  
addiscuntur, ut qui non ad hanc nati,  
sed instructi, non educati sed coacti  
accedimus. Interim singularem DEI  
misericordiã erga nos agnoscimus in  
hoc, dum hoc ipsum studiũ, sine quo  
verbũ ipsius salvificũ rectè proponi ne-  
quit, hætenus inter nos conservavit;  
quod etiã nos, quantũ in virib9 nostris  
est, in hac schola retinere & promo-  
vere summo studio allaboramus. In-  
ter exercitia autem alia, quibus juve-  
num iudicio & memoriã succurri-  
mus, etiam hoc est, quod *juventutem*  
*actionibus umbraticis, ex sacro codice*  
*petitis exerceamus.* Et in recenti ad-  
huc quidẽ memoria erit *Proscriptio Ab-*  
*salonis,* ob fratrem *Amnonem,* qui furo-  
re amoris insoliti adactus *Thamarem*  
*Sororem,* nefariè temeraverat ferro su-  
blatum; nec non, proxenetria *Theco-*  
*ne* interveniente, Gesure revocati.  
Hanc *Viri Eminentissimi* quibus præter

pietatis exercitium, & inter ardua ne-  
gocia *Biblia sacra* & horum lectio di-  
ligens, curæ est, animo vobis deditis-  
simo offero, & confesco. Suscepit  
*Artaxerxes Persarum Monarcha* hau-  
stum aquæ, utrâq; volâ ex præter flu-  
entis fluvii alveo à Sinæta hausta, &  
muneris, cū non esset aliud in prom-  
ptu, loco sibi oblata, animo benevolæ  
& lato ob duplicem causam: quod a-  
qua esset res optima; & quod flumen, ex  
quo hausta erat, Cyri nomen præ se fer-  
ret: Ego verò munusculum hoc pa-  
pyraceum Vobis, Viri Nobilissimi, Ma-  
gnifici, certissimum meæ erga vos ob-  
servantiæ monumentum, pro favo-  
re, quo tum hanc Scholam, tum me  
hactenus amplexi estis, mente humili  
offero. Nullus dubitans, quin ex beni-  
gnâ ejus in Clientelam vestram susce-  
ptione, lectori hæc actio gratior; & ju-  
ventuti, aliisq; quos eam cognoscen-  
di amor uret, commendatior sit futu-  
ra. Adjungo etiam hoc, quòd hujus  
lectione ad annos vestros juveniles, &  
studii

studii hujus jucundissimi, in iis eum  
summa delectatione, fructuq; non mo-  
dico, pertractati, memoriam rejicimi-  
ni. Rogo autem Deum aeternum de-  
voto pectore, ut propter salutiferam  
Fili sui incarnationem Annum sequen-  
tem. cum hujus Exodio Illustrissimis no-  
stris principibus; Vobis, praclaris vestris  
familiis, totiq; Regioni jubeat esse auspi-  
catissimum & felicissimum Hac roves:  
hoc votum jubeat Deus esse secundum!

IIIX. Id Jan: Anno  $\epsilon\upsilon\alpha\gamma\gamma\omega\pi\eta\sigma\tau\upsilon\upsilon$   
 $\text{XPICTOT CIO LC XLV.}$

N. M. A. V.

*Studiosissimus*

M. Georg: Schedius:

A5

Lc-



Lectori benevolo S.

**A** Morem à formâ corporis incensum non durabilem; propriumq; hominis esse, ut odio habeat, à quo vel ipse vel sui læsi sint: verò omnino & sapienter, illud quidem Plutarchus, Philosophus & Philologus sapientissimus; hoc verò Tacitus, Orator & Historicus exquisitissimus posteritati reliquerunt. Utriusq; Veritatem duo regii Juvenes, parùm vite & fame sua consulentes, Davidu, optimi & pientissimi Israëlitarum Regis filii Amnon & Absalon comprobant. Et huius Soror, non minùs forma quàm Castitatis laude conspicua. Pandora potuisset jure optimo dici, & absoluta totius pulchritudinùs imago. ad formam enim, quâ nullam sibi suâ tempestate habebat secundam, nedum parem, opinio verecundia eximia, casti-  
tat.

tas, pietas, & lux honesti fulgida acce-  
debat, ut non possent non saluari divisi-  
mus omnibus Gratiarum donis thesauri.  
Sed proh vanitas! Quam naturalis de-  
cor libidinis sit invitator! quanto cum  
periculo. & quam, nequicquam sapè custo-  
ditur, quod multis placet! quo major est  
castitas, eo vigilantior in eam est incon-  
tinentium, sibiq; imperare non valentium,  
libido. Educabat hoc omnis elegantia,  
pudoris & pietatis specillum in secretiore  
Gynæcei parte matris Mahacæ, Thol-  
mai Syrorum Regis filia manus, summoq;  
studio stemmate dignam regis efforma-  
bat. In hanc Amnon, ex Ahino Isra-  
ëlitidæ Davidi susceptus, primogenitus,  
ut primum conjecerat oculos, igne nefar-  
io astuare cepit, & quo charior fiebat  
Virgo, eo magis sanguinis reverentia re-  
cedebat. Itaq; sui amplius non potens so-  
litudinem quærere, curisq; se totum per-  
mittere, quæcum in terra dies paucissimos  
ita dimembrarunt, ut hominem amplius  
non referret. Tandem patruelis Jonadabi,

in-

ingentis sapientie Viri operâ voti incesti,  
minuq; liciti sit compos. Mox ut pau-  
sam fecerat libido, cessabat & ipse amor:  
Itaq; corruptam navoq; non levi dedeco-  
ratam ingratiis ejus domo ejecit. Inte-  
rim Absalon pudoris sororii temeratore  
nec aspectu nec alloquio dignatus vindi-  
ctam ad certum tempus distulit. Ovium,  
biennio jam exacta, tonsura adevat, ei  
Absalon epulis solennibus adornato Pa-  
trem, ut interesset, invitat. Hic negans  
se causam suo comitatu fore impensarâ,  
tandem importuno hominis impetu fa-  
tigatus dimittit cum eo Amnonem, o-  
mnesq; filios. Laqueo sese dat præda,  
laniena minis conscia; adeoq; se sistunt  
ceteri, omniaq; inveniunt parata. Ubi  
ad cantum hilaritas epulantium proces-  
serat; ecce furentium undiq; hominum  
armato concursu triclinium inhorrescit,  
solusq; Amnon ab iis quibus erat impe-  
ratum, petitur, moriq; minimè suspican-  
tis vitalia recluduntur. Ita libidine  
contractum flagitium dignâ quidem pœ-  
nâ,

na, sed non sub iudice legitimo expiatus  
fuit; argumento non obscuro, libidinem  
maximum omni aetate omnibus seculis  
attulisse excidium. Qualem tunc Regis  
animum fuisse patemus, cum, famam in  
majus omnia extollente, mors omnium  
filiorum pro certo nunciaretur? Hic ve-  
ro manus mea officium facere tenuit,  
verba tanto luctu digna reperire non sa-  
tis apta. Qui vult, quem Deus & Natura  
nomine patris dignati sunt, sobriè secum  
hac meditetur. Interim Absolon legum  
timens atrocitatem, exilii locum sibi e-  
legit in regno Gessuritarum, cui Thol-  
mai, avus maternus, praerat. Integrum  
ibi triennium transegit, donec Joabus  
litteris, ut credibile est, fugitivi Parrue-  
lis sollicitatus: subornat à Thecoine vi-  
duam reditum ejus procat. Quo impe-  
trato biennium ibat, in quo nec aula nec  
Patri videndi ei copia dabatur: donec  
intercessit Joabi & aliorum fortè depre-  
catio, qua tanti fuit momenti, ut inte-  
grè Patri reconciliatus ad majus postea

faci-



facinus audendum totam se componeret.  
Totum hoc negotium quibus personū,  
quibusq; consiliū diversimodē disputatū  
transigi, Absalonisq; reditus procurari  
potuerit, per nos vobis presentare vi-  
sum est illi, qui eandem vobis ante jam  
octennium primò exhibuit, & vobis  
(præfiscini hoc dixerim!) placuit.

Cæterum Actio hac Principem ju-  
stitia tenacem, moderati & lenis animi,  
maleficis durum & asperum, amicis pla-  
cibilem, Viduarum singularem Patro-  
num ante oculos sistit. Nec minùs &  
latenter utiles asperguntur Politicorum  
questiones. An Principi sit utile, omni-  
bus sui aditum præbere? Quo animo vi-  
ctoria ferenda. Quâ mente Subditorum  
preces audienda? An differenda sit Ju-  
stitia regula? An aliquid amicorum  
gratiam de stricto jurû tenore remitten-  
dum? An reus homicidii liber pronun-  
ciandus? An instantibus amicis aliquid  
condonandum? An sine ullâ poenâ dimit-  
tendus, sed & in gratiam recipiendus ho-

mic.

*micida? Quo animo erga deprecantes  
& ad frugem redeuntés utendum?*

Hunc actum sacro politicum secunda  
jam vice exhibendum, quod sic: XII. Jun.  
horu pomeridiani, in loco Scholae con-  
sueto ut Vos, Viri Magnifici, Nobilissi-  
mi, Admodu, Reverendi, Amplissimi,  
Consultissimi, prudentia, autoritate,  
eruditione ac literatura politiore Cla-  
rissimi ac Spectatissimi, Mecenates ac  
Fautores devoto corde & ore colendi,  
celebrandi, & respectivè Amici hono-  
rãdi, hora una atq; altera de negotiis ve-  
stris feriis derogata grãtiosa vestra præ-  
sentia cohonestare non dedignemini, quã  
par est & consuetu sum animi humili-  
tate ac devotione rogo quãsq;. Juvabi-  
tis illã ipsã conatus adolescentum, ut,  
non secus atq; flosculi nocturne pluvie  
guttis degravati fermeq; decidui ad lu-  
cis solaris radios supervenientis erigun-  
tur; sic illi umbratilibus hisce actionibus  
tractandis nomen suum quadam animi  
alacritate posthac proficeantur. Res

*non*

non agitur foccis neq̄, cothurnis. Hoc u-  
no differt ab oratione, quam solus aliquis  
recitat, quod consilia hīc in varias per-  
sonas sint dispersa, qua ratione vix com-  
modiore, quā talibus actibus exhiberi  
possunt; ibi unus, qua multi dicere pote-  
rant, proferat. Valetē *αὐτοῖς πρὸς τὴν*  
*ἰσχυρίαν ἀποτίθειμι ἀδελφοί, nostrisq̄ studiū*  
*& laboribus, quibus Iuventuti prodesse*  
*allaboramus, favete.*

Gustrovi XI. Junii. A.C. 1644.

M. Georg. Schedius  
Schol. Gust. Rect.

PER.

PERSONÆ  
Actionis ABSALONIANÆ.

Prologus.

DAVID, Rex.

ABSALON, Davidis Filius.

JOABUS, Dux belli.

ABISAI, Magister Equitum.

AMASA, Præfectus Aulae.

JOSAPHAT, Cancellarius.

BENAJA

JESAREAS

ELEASAR.

SAMMA

AHITOPHEL

SERAJA, Actuarius.

} Cōsiliarii,


THAMAR, Filia R. Davidis.

THECOINE, Vidua.

Epilogus.

Mutæ: Stipatores: a pedibus Regi: pueri  
nobiles: Pedisequa Thamaris.

PRO



PROLOGIUM

**N**ihil jucundum, nihil praestabilius est, quam bene & ornate posse dicere. Hoc mentis fulgure hominum caetus moventur, alliciuntur mentes, voluntates impelluntur, quo velimus, & unde velimus deducere. Hec una res in libero populo semper floruit; maxime ubi candidum Pacis sidus illustravit regionem. Quid enim tam admirabile, quam ex infinita hominum multitudine unum reperiri, qui id, quod omnibus natura impertivit, vel solus vel cum paucis facere possit? Quid tam jucundum scitis aut auditu, quam ornatissimis sententiarum phaleris, illustri sermonis genere, & gravitatis pondere ornata oratio? Quid tam potens, quid tam magnificum, quam civitatum motus, judicium sacramenta, Regum majestatem, unius oratione converti? Quid tam regium, tam liberale tam illustre; quam opem supplicibus commodare, afflictis auxiliari, salutis participare, pericula avertere, homines in officio, in civi-

civitate retinere? Quid esse potest in or-  
atio aut jucundius, aut magis humanita-  
ti proprium, quam sermo facetus, ac nul-  
la in re rudis? Hoc unum nos à feris se-  
parat; hoc unum nos ratione uti demon-  
strat. Igitur hoc quis jure non admire-  
tur, summeque in eo nitendum esse putet, ut,  
quo uno homines bestiis maxime præstet,  
in hoc hominibus ipsis antecellat? Conspi-  
cuum hujusce rei exemplum, quid polleat  
& quid valeat eloquentia tenor. Audito-  
res Clarissimi, exhibituri in medium pro-  
gredimur. Thema è sacris petitum, etiã  
nudo argumento nos allicere potest. Ab-  
salonis reditu orationis lenocinio pro-  
curatus in 2. Sam. c. 14. ad hanc demon-  
strandam exhibebitur. Quem idoneis  
declarare verbis, & ante oculos sistere us-  
ticac, æquum esse arbitror. Et vos præ-  
sentia vestra & æquanimitate nobis an-  
tidac in audiendo præstita effecistis, ut  
liberiori quodam genio causam agamus.  
DAVID quod opinor, neminem latet,  
reprobato Saule, imperium nactus est,  
mitissimi ingenii homo, in quo vera pie-  
tam,

tas vera iustitia effulgebat. Ex Maha-  
ca Tholmai Regis Syrorum filia, He-  
brone ductâ filium fustulit Absalonem.  
Victorius inde celebris, quas de finitimis  
de portavit Principibus, nimia felicitate  
laborans, palam cupiditates solvit; Cu-  
piditates dico, multis Principum famili-  
ares. Quae tamen non levi irâ Deum  
in Regem armarunt, sic ut minitaretur  
regiam continuis laboraturam cadibus:  
Regem ipsum extorrem, non à suorum  
quidem vi sutum fore. Nec cadibus tan-  
tum luiturum; incestu etiam in conspe-  
ctu Solis contaminatum iri familiam e-  
dixit. Precibus ille nixus, reum se con-  
fessus, Deo ardentis votorum & lacryma-  
rum imbri supplicavit. Quâ pietate mo-  
tus scopitro ipsum ad feram inq; senectam  
potiturum Deus pronunciorvit. Pacata  
interim omnia; donec major natu Am-  
non libidini flammâ exar descendens fata  
accelerare visus est. Ille nec sanguinis  
reverentiâ tactus, nec Majestatis pudore,  
qui talibus inesse Principibus solet, Tha-  
marem, suam Sororem vi, ingratis pro-  
bro

bro contaminavit. Quod facinus neuti-  
quã laudandum stimulos indidi. Absa-  
loni, ut aliquando pœnam de fratre su-  
meret. Biennium interim elapsam, quo  
tacita simulas inter fratres latuit. Hoc  
transactio ne tante iniquitatis pœna im-  
punita foret, ad facinus se accingit Ab-  
solon Amnonem in convivio inerscit.  
Inde exilium apud Avum per triennium  
exigent: Joabus reditum summo cum  
labore, summo cum studio procuravit.  
Mulierem, cuius verba melle dulciora la-  
bris manabant. Thecoa accersit; Im-  
ponit ei, ut Regem alio exemplo. & fucato  
quidem sermone, ad gratiam Absalo-  
ni dandam, commoveat. Auspice fortu-  
na Rex petitis annuit, hac conditione  
revocandum dicens si aulã, si conspectu  
abstineret. A reditu integrum biennium  
effluxit, in quo nec aulam, nec patrem  
vidit; donec non diutius patrem videre  
differendum statuit. Joabum nãq; vo-  
cat, bujus auxilio Regis conspectum ex-  
petit. Renuentem venire incenso agro  
cogit ad officium. Qui sine mora Regem  
adicens



adiens tutum illi aditum impetrat. In-  
trat ille haut vulgari vir specie, Regibus,  
sua stirpis autoribus ferox, nunquam se-  
cundi gradus satù patiens, manu & con-  
siliis strenuus, populo solertissime blan-  
du; ceterum nemini mortalium crude-  
litate, perfidiâ, & superbiâ cedens, qua  
ingens hominis fiducia augebat. Viso  
Rege in terram de more se demisit, & i-  
teratâ veneratione cunctantem perse-  
quutus est. Rex porrectissima fronte in  
illum adspiciens petenti genua dexteram  
dedit. Addidit, expetitum venisse, &  
culpam parricidio meritam, dimissam  
esse. At verò Absalon inter officiosa de-  
missionis verba nihil artis omisit, quo al-  
torum spirituum retinens nec vilis esset  
Regi, & factiosorum animis, qui multi  
tunc aderant, fidem faceret, se duce con-  
tumaciam belli aliquandò surrecturam.  
Excusavit breviter necessitatem, ut di-  
cebat, facinoris, ad quam nimio vindi-  
ctæ ardore, nimia sceleris magnitudine  
adactus esset. Se verò nec scœdera, nec pu-  
blicam fidem expectaturum fuisse, nisi ut

ab

ab iisdem hostibus apud Regem tutus es-  
set. David non modo abolenda odia re-  
tulit; sed & odiorum mentionem Quam  
verò tenax fuerit fidei, quàm paterna  
majestatis suspiciens subsequuta mox de-  
fectio demonstrat; de qua plura dicere  
supersedeo. Reditum mulieris eloquentiã  
impetratum legimus.

Actio tota in genere pertinet ad Ge-  
nus Judiciale; In specie verò Genus  
Deliberativum cum Demonstrativo  
adjungitur. Actionem Josaphat, seu A-  
ctor, habet: quòd amicum fratrem, Re-  
gem futurum convivio exceptum, inter  
coenam incautum interfecerit. Hinc o-  
ratur Intentio. Tu parricida es, tu reus  
mortis. Depulsio: parricida sum; sed  
occidi machum, incestuosum. Hinc na-  
scitur questio in statu Juridiciali. An  
jure Amnon casus fuerit? Quaritur hinc  
ulterius: quomodo qui probare velit,  
quod contra jus occisus? Estq; in Ra-  
tionali Absoluto. Loci, e quibus ducun-  
tur argumenta, sunt: Jus naturæ, fra-  
trem minime occidendum esse suadens.  
Lex

Lex divina & humana, hominem prohibens occidere. Consuetudo, Regem seu Principem e medio tollere visans. Æquum, hosti ignoscere jubens. Pactum, quia veniam antes dederat. Altera quaestio hæc est: An jure occisus? & in Rationali Assumptivo est, cujus partes sunt: Comparatio criminis, quâ ostenditur, satius fuisse, factam eadem quam si impunitas in aliud nefas occisum armasset. Relatio criminis, quod ipsemet incestu suo meruerit, & invitum ad eadem coegerit. Remotio criminis, quod legibus coactus fuerit, quibus mandatur incestum committenti vitam abrogari. Concessio criminis, ut si quid nimium ex juvenili fervore fecerit, clementiâ condonetur. Ad eam rem utitur Absolon purgatione, culpam rejiciens in necessitatem in Fortunam & imprudentiam: Deprecationem loco ejus Thecoine, Proceres & Soror adhibent, quorum argumenta commodius ex ipsâ Thematis tractatione audire licebit. Alterum Thema in genere Deliberativo versatur,

An

An conducatur revocatio Absolonis ab  
exilio Regi aut Patriæ? Habet in se  
salvationem, cui præcipui procerum favent,  
argumenta deducentes, ab honesto, quod  
peccatori resipiscenti veniam impertire,  
Regi honestum sit. Ab Utili: unicum re-  
gni esse heredem. A jucundo; filium  
habere regni participem; A Necessario,  
quia sine hoc libertas populi vacillabit.  
A Tuto, ne se in regnum alio prælato in-  
trudat. Disuasionem utitur Josaphat  
ab inhonesto, quod contra Dei præce-  
ptum sit voluntarium homicidium excu-  
sari. Ab Inutili, alios se à judicato de-  
inde defensuros. Ab injucundo filium  
adspicere, fratris sanguine contaminatum  
odiosum. A non necessario, alios ad-  
esse superstites, maxime regni capaces;  
Nec tutum esse suam fortunam illi com-  
mittere, qui tantum in fratre flagitium  
ausus fuerit. Deliberationi addit Ahi-  
tophel Genus Demonstrativum, quo  
laudem Absolonis à patris. à parenti-  
bus, à boni et am fortune & corporis, quam  
animi deducit. Quidam Consultationum

ad Genus Judiciale transit, & quidem  
ad statum conjecturalem; videri sibi  
reditum Absolonis mali quid portende-  
re. Et à Conjecturari argumentatur, lo-  
cos adducens duos; Voluntatem & Fa-  
cultatem. A voluntate, quia antea fra-  
trem regni heredem occiderit. Hujus  
duas species: Impulsio, Cupiditate regni  
facies eadem. Ratiocinatio, quia mors  
Patris maturanti ad regnum proderit.  
De Facultate non dubitatur, quia sic  
consiliorum particeps favorem & poten-  
tiam plebi obsequio aucupabitur. Hæc  
omittuntur. Causa acta est in Regia  
Hierosolymorum anno Mundi 2912. Post  
exitum ex Ægypto 460. A Trejacapta  
132. Regni Davidi, post defunctum Sau-  
lem 29. Ætati Davidi 55. Dereyli  
Assyriorum Regis 14. Medoni, Atheni-  
ensium Ducis 18. Nycii, Hærraria Regis  
16. Latini Sylvi Regis aboriginum 27.  
Areditu Heraclidarum in Peloponnesum  
54. Ante Christum natum 1051. (Secun-  
dum Calculum Angelorcat.)

Persona primaria, prout in sacro  
codice

codice memorantur, causam hanc petra-  
tabunt. Ceterum si quid inconueniens,  
si quid minus, personas illas, quas expri-  
munt, decens apparuerit; rogamus, ut  
a quo feratur animo. Huiuscemodi enim  
actionum, utpote minores ad huc, igna-  
ri sumus, quibus tantum memoria exer-  
cenda. & stylus acuendus. Nec soccu a-  
gimus, quo praecipue nos excusamus. Satis  
est memoriam umbratili actionum foren-  
sium exercitatione confirmare. In Scholiis  
armatur ingenia, in foro aut publico pra-  
diantur. Hic praelusio, ibi pugna commit-  
titur. Ita semper arbitratum est, Scholiam  
quasi ludum, forum quasi arenam esse. Sic  
vero natura quasi comparatum est cum  
in exercitiis in hoc genere, ut, cum in fo-  
rum venerint, putent se in alium terrarum  
orbem delatos. Agedum, inquit Philoso-  
phus producit huiuscemodi exercitio inas-  
suetos in publicum, cum loco mutaban-  
tur, veluti in assueta classe & dilectam-  
bra corpora sub dio stare non possunt. Non  
enim imbrem ferre, non Solem sciunt; vix  
se inueniant. Assueverunt enim neutiquam

huic velitationi; Itaq; cum in publicum  
ventum, aut deficiunt, aut labant. Illos,  
velut ex umbroso & obscuro loco prodeū-  
tes clara lucū fulgor obtineat; sic à Scho-  
lā, velut ex carceribus inexercitatos ad  
liberiores vitam, quæ in Academiā oc-  
cursat, transeuntes, omnia tanquam no-  
va, tanquam inusitata perturbant. Sed  
huic malo tali remedio succurritur. Opus  
etiam est, ut diligens exercitium accedat,  
non ut fictū controversiū linguam modo  
& vocem exerceant, sed ut hū artibus pe-  
ctus impleant, in quibus de boni & malū,  
de honesto, de turpi disputatur. Cui mori  
seu præcepto & nos obsecundantes hanc  
exhiberi actionem adsumus, maximo pe-  
rè, vos Viri Clarissimi obsecrantes, ut &  
benevolas & placidas præbeatū aures,  
quo vestro tuti favore commissum huic a-  
ctum dignè representemus. Quo bene-  
ficio, uti par est, nos semper non tantum  
obstrictos habebitū; sed & ansam in pari  
dicendi genere totū quotidiè animi viri-  
bus progredi uberrimè dabitū.

AMASA

AMASA, *Praefectus Aula.*

**F**ulgentissimos si quis caelo move-  
at Solis radios, haut dubiè in anti-  
quum pulcherrima mundi statio re-  
solvetur chaos, creaturaeque aeternam  
noctem timebunt. Sine hoc enim  
lucis arbitro neuiquam vel terra flo-  
res emittere, vel pontus moveri, aut  
caelum ipsum firmis esse viribus pot-  
est. Medio siquidem loco positus  
*Errantes stellas suo cursu moderatur,*  
quò sibi meritos, tanquam Regi, ho-  
nores exhibeant. Cui non immeri-  
tò, *Serenissime Rex,* nobilis *justitia lam-  
pas* ab universis comparari potest. Hæc  
enim orbe motà *Pietas* luget, *probitas*  
*ægrotat,* *charitas* interit, *fortuna* exu-  
lat, tota deniq; *salus* hominum in bi-  
vio posita est. Sin verò *radices* altius  
egit, *caputque* caelo tollere audet: quàm  
*felix* illa *Respublica,* *caeli æquiparan-  
da palatio!* quàm *beatus* ille *Princeps,*  
cui *Justitiam* civium pro virili promo-  
vere animus est! Nulli autem *Magna-  
tum* *charius* quid esse *Republica sua*

B ; con.



convenit. Nec ideò datos sibi fasces  
credant, quo pro libitu imperium  
exerceant. Meminerint, procuratio-  
nem Reipublicæ ad utilitatem eorum,  
qui commissi sunt, non eorum, qui-  
bus commissa est, gerendam esse, Ma-  
lus Imperator, qui sibi, non suis civi-  
bus consulit, & justiciam admini-  
strare si quis abneget, potius decedat  
solio, alii suos committens honores,  
*Decet enim Principem facilitas in au-  
diendo, insatisfaciendo celeritas, in  
disputando diligentia.* Sæpè autem  
usu venit, ut Purpurati minùs æqvâ  
lance distribuant justiciam, fluctibus  
negligentiæ vacillantes, dum multi-  
tudinem negotiorum excusant; Tam  
brevis spatio agi tot causas, tot expli-  
cari negotia non posse; Nec medicina-  
m tam gravibus morbis ex impro-  
viso dari. Quæ segnities in Principe  
neutiquam excusanda, neutiquam fe-  
renda. Nihil mediis-fidius iniustius,  
nihil mehercule Deo hominibusq; ma-  
gis aversum, medicinam nolle ægroto,  
cum

cum possit, exhibere. Secessus isti,  
illæ ex obliquo moræ, non dicam,  
quàm valdè animos civium abalienent.  
Plus præstat Imperator, quàm quidem  
animo capit, cui omnibus aditum ad  
se exoptantibus concedere, cui quæri-  
monias subditorum ad se deferrilubi-  
do & religio est. Hac lenitate non se  
ultra fas premi quærentur, licet ser-  
pulositas nimis juris directam de sub-  
diti quæstibus sententiam extemplo  
ferre inhibeat. Saltim æquiori à tri-  
bunali discedent animo, si sciant, quæ-  
relas suas Principi expositas, nec se am-  
plius vanâ administrantium spe lacta-  
ri. Solet enim dexteritas & benigni-  
tas morum in altiori dignitatis gradu  
facilè omnium animos sibi reddere  
obstrictos; & afflictæ animi est, dolo-  
rem suum exponendo, etiam si saluta-  
ri remedio frustrentur, relevare. Ne  
levia hæc putes, *optime Regum*, mera-  
lia monere, quibus apud externos quoque  
insignem laudem mereris. Cura pu-  
blici commodi concitæum hunc fer-

vorem elicit. Quæ licet per insva-  
vitatem etiam medeatur, emolumen-  
to curationis offensam sui excusat, &  
præsentem injuriam superfutura uti-  
litas gratiâ commendat. Nec te fu-  
git, *Maxime Principi*, totius Reipubli-  
cæ interesse, si justitiæ ex æquo bonoq;  
summo cum studio, summâ cum be-  
nignitate, summâ deniq; prudentia  
succurratur. Et hoc tuum est, sum-  
mo cum studio eò niti, quo dignita-  
tem tibi à Deo T. O. M. commissam,  
digna majestate in præfractos exerceas,  
in supplices verò lenitatem tuam ma-  
ximo clementiæ fulgore conspicien-  
dam colles. Altera manuum in-  
fontes justa benignitate, quò civilis  
felicitatis participes fiant, foveat; alte-  
ra præfractos, quò commodè degant,  
puniat. Pupillos cures, viduas tuea-  
ris, faucios subleves, cæcos protegas.  
omnium deniq; patronus, & quod ma-  
jus ac præstantius, pater SIS. Sum-  
ma hæc est: ut hostes tuos terrendo,  
inimicis remittendo, amicis favendo,  
de bile

debiles extollendo, animosis blandi-  
endo, omnibus deniq; justiciam æ-  
què administrando, omnibus fias co-  
mis, nec timida remissione spirituum  
fortunæ obliviscaris tuæ. Sic lenita-  
tis tuæ fama prætractos in officio con-  
tinebit, & finitimi majestate tuâ com-  
moti supplices sceptrum tuum suspi-  
cient. Cui non leve momentum ad-  
des, si egenorum & viduarum ex-  
actam curam geres. Decet enim Prin-  
cipem bonum & generosum, orbis &  
viduis viscera semper aperta habere, ut  
illis opituletur, nec portas unquam  
claudere, ut illos audiat (2. Sam: 14, 4.)  
*Est ex Thecoa hic mulier quædam vidua,*  
*plorans, ejulans: quæ afflictionem*  
*suam tibi depromere, tuisq; auribus*  
*suam miseriam concedere anxie &*  
*obnixè precatur. Est illa mulier pia,*  
*justa, & sancta, & commiseratione di-*  
*gna. Nec imminuendæ Principis au-*  
*toritatis & gravitatis est, si viduæ mi-*  
*seræ compleret. Melius enim, Prin-*  
*cipem lachrumarum, subditorum o*

eulis manantium participem; quàm  
autorem esse. Quippè modestiæ fa-  
ma nec supremis spernenda. Pro hac  
ego, *Serenissime Rex*, quia precibus suis  
meretur, ut admittatur, suppliciter in-  
tercedo: & quid *Amasa* tuus possit,  
fac. ut experiat in ipsa. Nec majori-  
bus te verborum ambagibus suspen-  
dam. Ipsa, si jubes, mox aderit, ge-  
nua tua supplex veneratura.

DAVID Rex.

Nullum, *Proceres*, puto fore, qui  
in me, meamq; gubernationem ali-  
quid mali derivare possit. Siquidem  
semper eò direxi consilia, quò omnia  
tam ad Remp:augendam, quàm ad Dei  
O. M. gloriam & honorem amplifi-  
candum vergerent. Hæc est animi  
nostri destinatio; In cælesti verò manu  
effectus optati. Opem ferre necessita-  
tibus indigentium semper duxi; pro  
lucro habui illorum gratiarum actio-  
nem. & *Dei* retributionem, quæ talem  
beneficentiam solet consequi. Te-  
stem voco populum Judaicum, testes

VOCO

voco vos, testem ipsum Dei Sanctissimi  
Numen, nunquam pupillis & viduis fo-  
res meas clausas fuisse. Deum enim  
novi inexorabilem ei, quem precanti-  
bus cernit immittere. Nec iustum est,  
augeri patrimonialocuplerum per da-  
mna miserorum. Sceptra in eum  
iuro mihi à caelo commissum, nemini  
præter jus & fas quicquam ablatum  
fuisse. Nullus armenta, nullius gre-  
ges dextera nostra tetigit. Nec intem-  
pestivis muneribus peccavi in legem,  
nullis muneribus corruptus cuiq; sine  
præludivis jus administravi. Non af-  
finitas, non amicitia, non commune  
vinculum solito me juris calle avexit.  
In iudicio enim Iudex neq; Patrem,  
neq; matrem, neq; filium neq; ami-  
cum, sed Deum solum & puram putam  
justitiam cognoscere debet. Quippè  
Princeps publicæ utilitatis minister, &  
æquitatis servus est. Licet iustitia aliis  
potius nata, quàm sibi, nihil habeat uti-  
litas, plurimum tamen laudis possi-  
det. Hinc Princeps tenetur de omni-

bes, omniumq; videtur esse autor;  
quia cum omnia corrigere possit, eo-  
rum merito particeps est, quæ noluit  
emendare. Quam feliciter Remp:  
administraverim, non ignorare vos  
arbitror. Rex sum gentis à Deo electæ,  
ab ipso Deo ad hoc imperium vocatus.  
Ter Philistæos prælio depressi, quum  
fulgentibus signis in me ferrentur.  
Moabitæ tributis onerantur, nec im-  
munis ab his potentissimus Syrorum  
*Hadadeser*, aliquoties castris exutus, &  
fortunæ suæ admonitus, ne aliena in-  
vadendo propriis excidat. Non *Da-*  
*mascenos*, à nobis bello dejectos, me-  
moro; Ipsi testes estis, qui meo ductu  
eos devicistis. Turmæ cohortes, sub  
Centurionibus atq; Tribunis arcibus  
Damascenis impositæ in officio devi-  
ctos continent. *Ammonitarum* Re-  
gem captum, ante currum vinctum vi-  
distis incedere; ipsius corona in regia  
asservatur gaza; insigne posteris docu-  
mentum, sanctam legatorum habenda  
auctoritatem; cum legatorum  
im.

imputari infortunium solet his, à qui. et  
bus missi sunt; Quippe jus legatorum  
cum hominum præsidio munitum, et  
tùm etiam divina autoritate est valla-  
tum. *Hiramus, Tyræ Rex, & Thobi Æ-*  
*matitarum* tesseram amicitiae nobis  
miserunt, hospitio & foedere juncti.  
Manet honor & societatis insigne.  
Nam nec tributis contemnuntur, nec  
publicanus atterit. Exempti oneribus  
& collationibus, & tantum in usum  
præliorum sepositi, veluti tela atq; ar-  
ma, bellis reservantur. Sed hisce vi-  
ctoriis, lætoq; plaudentis fortunæ suc-  
cessu minimè elatus, felicitatis & mo-  
derationis dividuum contubernium  
esse duxi. Non illorum sententiæ  
fui, qui cum se permisere fortunæ,  
etiam naturam dediscunt. Ira enim  
& superbia mala invicta. Felix ille, &  
me censore felicissimus, cui continen-  
tia & moderatio in altissima quaq; for-  
tuna; in abjecta contra constancia, tan-  
quam eminentissima bona adhærent.  
Nunquam quippè eodem vestigio stat  
for.



Fortuna, sed destinata salubriter omni  
ratione potentior fortuna discutit. Sed  
in tanto rerum flore, precibus & la-  
crymis semper vovi, ut cum ex summo  
retrovolvi fortuna sveta sit, mutatio-  
nem ejus domus mea potius, quàm  
Resp: sentiret. Nam & *Dei* clemen-  
tiam insolentiã irritari, & irritatam  
gravissimè punire pro comperto ha-  
beo. Cujus poenam melius in hac, quàm  
in altera experiri vita hominem pium  
decere arbitror. Nam *Dei* ira in miser-  
cordiam supplicationibus misero-  
rum vertitur; & captæ ultionis major  
forma quàm poena in mensuram ple-  
nitudinis reputatur. Siquidem nihil  
tam *Deo* dignum, quàm salus hominis.  
Itaq; defunctam esse fortunam publi-  
cam meã tam insigni calamitate spero,  
quòd celeberrimo meæ victoriæ radio,  
veluti ad ludibrium humanæ sortis,  
duobus funeribus meorum liberorum,  
alteriusq; exilio, tam caliginosæ tene-  
brarum nubes obductæ fuerint. Et  
cum ego & Hanon jam illustria maxi-  
mè

mè sortis spectemus ludibria; ille, quem  
captivum cum tota sua progenie Sol vi-  
dit, liberos quidem captos, sed salvos  
habet: Ego victoria potitus tria funera  
vidi; alterum etiam, & merito quidem  
exulem. Nec ex tanta stirpe, cui sce-  
ptrum deinde relinqvam, dignum  
quonquam video. Nec dulce quid in  
vacua domo. Hosce in spem regni ge-  
nueram. *Davidii* in domo, præter se,  
nemo superest. *Mi Chileab* si saltim  
superesses, ego te ad sceptrum, sangui-  
nis jure, promotum Regem facerem,  
Tu aleam belli, tu labores, tu senectam  
lenires. Sed ille placida compositus  
morte quiescit, contubernio viventium  
excedens; & amissi memoria non de-  
inde mihi diem molestiarum exortem  
reliquit. *Quia* & *Fatum* audet laurea-  
tis foribus atram inducere vestem; &  
gemmales pubescentesq; herbas adu-  
rit atq; interficit nocentissimum frigus.  
Sed hanc cladem domus meæ, vestra  
felicitas, & secunda fortuna publica  
consolatur, quam pro virili promove-  
re

re totus in hoc sum, ut pacis candida  
lampas effulgeat, laureata iustitia flo-  
rescat, candor & amicitia radices a-  
gant, pupillis deniq; defensio, & viduis  
tutela nostra non desit. Magnum si-  
quidem iustitiæ opus est, pupillos & vi-  
duas patrocinio destitutos, & auxilio  
indigentes tueri ac defendere. Quem  
vobis morem etiam, *Proceres*, me huc ve-  
nisti-  
stigia direxisse vidistis ut oppressis ma-  
num porrigam, quo mihi quoq; *Dei*  
manus porrigatur, qua, utpote homo,  
opus habeo. Ut enim Sol, quibus af-  
fulget, calorem suum impertit; Ita ab  
Imperatore clementia ijs tribuenda,  
quos adspexerit, utpote quem magis  
clementia, quam ira; & lenitas animi,  
quam celsitudo decet, decorat, exor-  
nat. Itaq; pro qua intercessisti, *Amasa*.  
*viduam* huc siste, ut cognitis ejusdem  
precibus, quod jus & æquum est, à me  
decernatur.

THECOINA, *Vidua*.

(Vers. 5) Ingens opinio virtutis  
tuæ *Serenissime Regum*, me huc traxit,  
quo

quo miseriam meam, qua confictor,  
quo polles auxilio subleves. Quan-  
quam honestius silere, ob verecundiã,  
quã mulierem, cui lugere convenienti-  
us, quã loqui, publico abstinere ob-  
ligat. Fœmina enim, si domo exit,  
inhonestã censetur famã; si pedem  
extra lares non profert, præda fit præ-  
datoribus; si risu levi quid profert, le-  
vis audit; si risu abstinet, hypocriseos  
notatur, si frequens sacra accedit, pe-  
ripateticam ajunt; si sacris abstinet  
locis, ingratitude erga Deum argui-  
tur; si mundo immundo incedit, par-  
citis incusatur; si qua est mundior  
paulo, molestè ferre viduitatem ajunt:  
Verecunda arrogans erit; comis con-  
trã & affabilis suspectam reddit do-  
mum. Centum iniqui censores po-  
tius, quã unus verus patronus in fœ-  
minas reperiuntur, ita ut rectè vidua-  
tus res sit contumeliã obnoxia. Silere  
tamen me miseria & status meã fa-  
miliã calamitosus non finit. Quamvis  
nec proloqui integrum nec silere tu-  
tum

tum sit. Misera sum, & mihi in auxilii  
maxima parte erit, à clementia tua li-  
benter audiri. Ne vagam existimes,  
ne in verècundæ arguas; ex tuis subdi-  
tis sum, quæ opinione tuæ virtutis ma-  
ximè meruit abste juvari. Infelix sum,  
mulier sum, & si quid hoc valet, Judææ  
originis sum. Miserere ô Rex! Fati in-  
jurias, mei q; necessitatem auxilii, si ju-  
bes, si vacat, expromam. Inter felices  
me memorabo, si clementem invene-  
ro Principis animum.

DAVID.

(Vers 6.) Te in publicum; *mulier*,  
prodire neutiq; miror, cum & ve-  
stitus lugubris mœsti quid notet, & an-  
xia loquentis sollicitudo adstantes o-  
mnes ad audiendam quærelas tuas mo-  
veat. Solatii enim loco est, inter mul-  
tos dolorem suum dividere. Pascunt  
frequenter & lacrymæ & mens gemitu-  
bus allevatur. Fletus refrigerant pe-  
ctus, & mœstum solantur affectum.  
Placitum autem Dei necessitas sequi-  
tur; voluntatem comitatur effectus.

Paci

Pati nos oportet, quod ille facit, cuius  
potestas plus potest. Cæterum Deivo-  
luntas est sola & vera iustitia; quam tu  
â me, tanquam ejus ministro, expetis.  
Hæc tibi patet; Hanc experieris. A-  
nimantes Deus & instructas ad infe-  
rendam, & munitas ad vim repellen-  
dam figuravit. Homini affectum mi-  
sericordiæ dedit, ut omne præsidium  
vitæ in mutuis auxiliis poneremus.  
Homo siquidem in adjutorium mu-  
tuum generatus est; ira in exitium. Sed  
cum iudex libram teneat æquissimi ju-  
ris, nec ad gratiam de controversiis  
sententiam ferat; fas erit, ut tuam e-  
narres miseriam: Ad causam enim co-  
gnoscendam confedi, quâ cognitâ, ha-  
bitura eris similem causæ fortunam.

#### THE COINA.

Quam multum perdat famina,  
*Invidiosissime Imperator*, quæ Patrem, cui  
procreationem suam debet; vel Ma-  
trem, ex cujus utero prodiit; vel Fra-  
tres oculis suis magis dilectos; vel ami-  
cos integræ fidei; vel deniq; divitias  
honestè

honestè partas amittit, quivis cordatus  
homo ipsemet intelligere potest. Sine  
dolore enim non pereunt, quæ cum a-  
more possessa sunt. Sed nulla gravior  
jactura, nulla calamitosior miseria, nul-  
la deniq; major afflictio fæminæ con-  
tingere potest, quàm si unicum unicè  
dilectum conjugem amittat. In reli-  
quis siquidem fortunæ insultibus uni-  
ca tantum damni occurrit querela, Ma-  
riti verò jactura scaturigo est omnium  
malorum. In hoc numero quis non  
immeritò me deputet adeo infestam &  
adversam expertam sortem, ut si plura  
me apud invenisset, plura spoliatura  
fuerit? (v. 5. 6. 7.) Subtraxit illa, cheu!  
unicum familiae meæ columen, mari-  
tum unicè charum: pro quo reservan-  
do lubentissimè leto me in pignus ob-  
tulissèm. Is decedens geminos stirpis  
suffectores reliquit. Fato vicinus fami-  
liam agnatorum per superos, quos re-  
linquebat; per inferos, quos adibat;  
per fædera deinde naturæ, & unius pro-  
genitoris memoriam obtestat<sup>9</sup>, oravit,  
ut

ut

ut nostri curam agerent, non pueri-  
tiam filiorum, non viduam me, neu  
fragilem desererent. Jurantibus illis  
conjug fatofunctus est. Me extingvi  
fatius erat, atq; inimica morte tolli,  
qvàm te, *conjug* dulcissime; qvem ô  
fata meo funere servassent familiæ tu-  
torem, & sobolis dignum magistrum |  
Et hic primus fortunæ insultus. Sola-  
tium non leve videbatur, matrem esse  
duorum juvenum, qvibus plenâ manu  
natura & fors sua bona communicâ-  
rant: Ita patrimonium curabant, ita  
matrem solabantur; donec, nescio  
qvæ inimica fata domesticam quietem  
non levi procellâ turbarunt, Svavis-  
simi fratres, qvos nulla hæcenus tem-  
pesta libârat, sibi invicem manum in-  
ferre coguntur. Heu me miseram! lo-  
quarne, an fileam? lingua *bebet*, to-  
tumq; corpus frigidus lavat sudor; Ar-  
tus tremunt, & genua labascunt. Dum  
ampliando patrimonio miseri illi ru-  
ri operam navant, contentiosæ lites  
ortæ totam scenam turbârunt. A  
verbis



verbis ad verbera delapsi Tragediam  
cruentissimam excitauerunt. Infelix i-  
ctus, quo alter alterius inguina trans-  
fixit: Domi etiam miserima mater,  
cum pallidum alterum, respersumq;  
cruore domum tendere citato gressu  
video. Mihi subitus horror objectus  
est, siue genii mei cura hæc fuit, siue  
consuetudo mea interrogationem  
hanc movebat. *Quærenti* tristem il-  
le casum explicat. *Ejulans ego*: jam  
pridem hanc procellam imminentem  
verebar, quoties vultus inter vos mini-  
mè fraternos cogitarem: quoties tu-  
multus quosdam exaudirem. Sed spes  
animum mulcebat, vos aliquandò in  
gratiam germanitatis vinculo reditu-  
ros. Me miseram? quoties ego præ-  
sentibus vobis fraternas detestata sum  
lites? quoties inimicos devovi fratres?  
quoties pestem hanc averfata sum?  
quoties exempla retuli, capitales hosce  
tumultus nedum familiam, sed inte-  
gra etiam regna evertisse? Quoties te-  
stes produxi concordiaæ fraternæ, quâ  
nixa

nixi fratres salutaria sibi suisq; funda-  
menta posterunt? Me miseram! quâ  
facie, quo vultu tantum nefas ausi estis?  
Ille supinas tendens manus fletus ora-  
bat, ne, quod fratris extorsisset imma-  
nitas, sibi attribuerem; neu se, ut  
parricidam fratris averfaret: se defen-  
sionem justam parasse, cum iniqua se  
pati videret: nec eo animo fratrem  
percussisse, ut moreretur, sed ut vim  
depelleret: defensione se in speciem  
crudelitatis lapsum, nec se superstitem  
fratri futurum fuisse, nisi me non to-  
tam liberorum esse orbam voluisset.  
Quod ad se attineat, se lubentissime  
fratri proprio sanguine parentaturum,  
quo Manes & suos & ejus placatos red-  
deret. Sic lugentibus nobis superve-  
nit totus cognatorum ordo, qui parricidam  
ad mortem postulabant; Hortari  
graviter gnaviter incubere, acriter fe-  
stinare, quò relictus etiâ morti daretur.  
Ego deprecari. Illi instare; Ego Deum  
hominumq; fidem in auxilium adhi-  
bere; illi contra se meum vi abreptu-

ros minari. Nec fas esse ajebant, eua-  
dem diu vivere, qui tantum nefas in  
fratre ausus fuisset. Postremo res in  
eum rediit locum, ut precibus & ar-  
denti lacrumatum imbri permoverim  
Seniores, se illius mortem tamdiu di-  
laturos, donec, ut ajebam, Rex certi  
quid determinasset. Igitur cum in  
tenui filo pendeat filii mei vita; te per  
genua tua *Invictissime Monarcha*, rogo,  
obtestor, precor, ut, cum unicus su-  
perfit, tanquam pruna residua in me-  
diis cineribus & luctuosis familiae meae  
reliquiis, potius ferendus, quam ex-  
tingvendus sit. Clementiam tuam  
fac me experiri, quo viro meo nomi-  
nis superstes in superficie terrae memo-  
ria maneat. Misericordiam tuam ap-  
pello, ne & alterum illum, unicum vi-  
tae & gravis senectae solamen, propin-  
qui de medio tollant, & sic viri mei me-  
moria in sacro stemmate gentis Judaeae  
aboleatur. *Mi fili*, res in eum rediit  
locum, ut nesciam, quid potissimum  
gemam; illumne, quem jam tumba  
excipiet,

excipiet, filium meum; an te magis,  
quem æquali, aut peiori forsitan feri-  
tate infensissimus latro mors à nostris  
complexibus rapiet? Frater tuus jam  
excessit terminos, intra quos serviit;  
exceptit illum magna & æterna pax; Tu  
restas in supplicia. Illum deniq; nul-  
læ artes revocabunt; Tu, si clementem  
experta fuero *Regem*, poteris fortè non  
perdi. Proinde te oro supplex per co-  
ronam tuam, per sceptrum tuum, ne  
afflictæ addas afflictionem. Sat *mo-  
lestia* erat, alterum alterius manu vio-  
lentèr percussum. Quo me afflictum  
iri dolore putas, si alterum unicum, qui  
mihî patris, fratris, filii atq; mariti lo-  
co est, ante oculos meos supplicii  
mortuum adspiciam? Ictus novissi-  
mus veteres etiam plagas dolore re-  
scindet. Quicquid imperabis, modò  
filium salvum habeam, lubentissimè  
feram. Servorum in numerum nos  
deputa, lætissima ero, si tantùm filij  
vitam lacrumis redemero. Nec te ju-  
stitiæ nimius tenor moveat; *Summum*

C

etiam

etiam jus summa sæpè injuria; Et acer-  
bis judiciis civitas vastatur magis, quàm  
corrigitur. Ad misericordiam tuam  
confugimus, supplices nos vides, ne  
exarmato preces meas, quas matrum  
miserrima fundo. Te clementia hæc  
in cœlum feret, orbata solatio succur-  
rentem. Te tanquam *Angelum Domini*  
venerabimur, qui miseris & afflictis le-  
nitate suâ opitulatur; qui viduis &  
improvisis peccatoribus misericordiâ  
suâ subvenit. Nihil enim pulcrius in  
fastigio collocatis, quàm multarum re-  
rum veniam dare, nullius petere.

DAVID.

Verf. 3. Quæ à te commemora-  
ta sunt, *Mulier*, diligenti attentione  
hausi; tuamq; exinde & tuorum mise-  
riam intellexi. Gravia hæc sunt, nec  
tutò innocentia ijs concedi potest, ne  
forsitan legum sanitas à me ipso cor-  
rumpatur, cui curanda mandabatur.  
Nihilominus te misericordiæ meæ par-  
ticipem faciam, cui etiam omnes vir-  
tutes honorabiliter non recusant cede-

te

re. Differetur interim filii supplicium,  
donec res exactis cognita fuerit. Scias  
enim, me non verbis, nec uaius horæ  
disceptatione, aut una tantùm audita  
litigantium parte causam dijudicatu-  
rum, sed inquirendo in utriusq; vitam,  
mores, & dicta, factaq; in magnis par-  
uisq; rebus observando. Secedas igitur  
non incerta spei, me causam ex-  
actè cogniturum & si fieri poterit, filiũ  
tuum à morte liberaturum, quò tuæ  
petitioni locus concedatur. Quod  
reliqum est, in *Dei* voluntate acquies-  
cas, animum consolers, molestiis,  
quàm fieri poterit, libera viuas, & leni-  
tati meæ confisa gaudeas, ne quis nul-  
lam calamitosis deberi putet gratiam.

#### THE COINE.

Verf. 9. Nunquam mihi defutu-  
ram orationem, quã te Maxime Re-  
gum, alloquerer, credidi; Ita imago  
clementiæ tuæ miseram me ingenti  
spe fovebat. Sed lingua stupet; are-  
cunt nervi; oculis tenebræ offundun-  
tur: cordisq; regio frigido horrore ob-

C 2

nubitur

nubitur, dum mali cujusdam præfaga  
mens dimissionem tam subitam ex-  
horrescit, ne salus filii mei in dubio  
posita iudicibus committatur, qui duri  
ad questus, parùm supplicibus moven-  
tur, sed & supplicia spectare audent. O  
*fata! ô dura fata!* me benignum exper-  
tam *Regem* crudelitas seniorum, mor-  
tem filii urgentium, sepulchro infe-  
ret. Tantum se defendentem malum  
secutum! Uno icu duos infelicissi-  
mos fratres; horumq; miserrimam  
matrem interire Sol videt. Nec dif-  
feram mortem; hisce meis manibus fi-  
liorum accelerabo manes, potitura il-  
lorum conspectu, si in hac non licet vi-  
ta. *Clementiam tuam. serenissime Rex,*  
fac me experiri; concede incolumita-  
tem juveni, quem non planè inimicum  
fatum tanti Principis gratiam dicere  
coëgit, cujus laude tuum nomen su-  
per æthera jugitèr feretur. En me il-  
li loco sisto! hunc mihi condona. Sup-  
plicia ejus in me recipio; Patris mei fa-  
milia cædis rea sit; *Solum tuum, Invi-*

*di.*

*Etissime Imperator*, erit innoxium. Mea  
in tua bonitate confidentiam vides.  
Nec immerito bonitati causae confido;  
Ita enim mihi de filii superstitis inno-  
centia persuasum est, ut culpam in me  
recipere non dubitem. Jussa facere  
non detrecto; quicquid imperabis exse-  
quar, modo sospitem hunc habere li-  
ceat. En genua tibi flecto, osculo pe-  
des veneror; terram prona premo, ne  
precibus obtures aures, sed miserae au-  
xilium succurre! Solus ille, post alte-  
rum, qui incauto periit ictu, miserrimae  
matri solamen, viduaeque domui ul-  
tima propago relictus est. Regium  
cogita, miserrimae aliquam viduae gra-  
tiam largiri; nec indecora erit filii mei  
incolumitas majestati tuae.

DAVID.

Verf. 10. Nihil jucundius sene-  
ctate, stipata juventutis flore; nihil gra-  
tius, quam superstitis stirpis suffecto-  
res relinquere! Unde & superstitis pre-  
cantur senes filios; Et matrum votum  
est post maritos filios habere, quorum

C 3 cura



eurâ non tam alantur, quàm prote-  
guntur. Cujus te etiam opinionis.  
Zauiet, video, quæ obnixè pro filii sa-  
lute intercedis. Namq; hæc est natu-  
ra rerum bonarum, ut illis frui proli-  
xius velis. Potest tamen non dolere  
cor humanum, defuncto charissimo;  
melius; tamen dolet, & sanatur cor  
humanum, quàm si non dolendo sit  
inhumanum. Sed quia amor tuus in-  
nocentem etiam filium tantus est, &  
quia tantâ prudentiâ polles, filium tuû  
judicio eximam, ut liber inter liberos  
degat; nec ullus meorum subditorum  
audebit ob facinus hoc ei dicam scri-  
bere, aut in carcerem conjicere. Ma-  
tri salutem suam debebit; huic quâ par-  
est obedientiâ honorem, tanquam cer-  
tissimæ salutis patronæ, debitum, & fi-  
liale præstabit obedientiam. Per-  
duellis erit, qui quicquam in ipsum  
molietur. Hunc ad me adducito, ne  
quis amplius te attingere pergat.

THE COINE.

Verf. II. Recordare, Clementissi-  
me

me *Rex Domini* tui, ne multiplicet pe-  
rimere vindex sanguis. In memoriam  
revoca legem à Deo datam, quæ occi-  
soribus imprudentibus vel invitis ca-  
vetur. Hujus benignissimi *Dei* infi-  
stens vestigiis, qui etiam tali lege in-  
cautis percussoribus succurrit, largire  
gratiam filio meo, divinam clemen-  
tiam hac parte imitare, ne vindicias  
postulantes perdant filium meum.  
*Deus* ille, *Deus*, inquam, qui peccatori-  
bus, crimen agnoscenibus, non in to-  
tum suam gratiam, suum favorem ab-  
negavit, tuæ laudi amplissimum hoc  
favore elargiendo campum aperuit,  
quò tuæ lenitatis fides totum orbem  
radiatorum suorum luce percurrat, qui  
te pro solito suo favore, indemnem  
conservet, sospitem foveat, sceptrumq;  
tuum longo nepotum cumulo fortu-  
net.

DAVID.

Mitte lacrymarum fontem; desine  
tandem fletibus ora rigare. Ego te le-  
tam & sine fori discrimine liberam;

C 4

Ego

Ego tibi filium incolumem (quid horres, stupesq;?) reddam. Nec verere, qui procedere possit pollicitatio tam immanis. Prædem hanc manum vide, nihil me præter id, quod futurum est, dixisse. Filium leto eripiam, quo salva in ipsius amplexibus vitam agas. Testem Deum Abrahami. Deum Isaaci, Deum Israël voco, qui hanc domum & patriam servat, gaudium tuum integrum fore, nec è capillis filii tui in terram casurum.

#### THE COINE.

Ver. 12. Clementiæ tuæ, quâ polles, Regum Severissime, est, quod vitam agito, cum me voti participem feceris, sine quo non salva, nedum viva futura eram. Pro quo me, meosq; penates semper gratias agere, O Rex! videbis. Tam facilem experta Regem, tam justum nata solatium tuæ laudis præconia differam lateq; spargam, donec spiritus hosce reget artus. Sed quia cum humano ingenio ita comparatum est, ut,

ut quo plura habet, eò ampliora cupiat; ego quoque audaciam uberiores mihi sumo cum *Majestate* tua ulterius sermones miscere. Faciles enim preces apud eos puto, qui nobis viam salutis ostendunt; Et tu, O *Rea*, virtute tua sermones mihi elicis, Ne movear irâ, ne bilem mea dicacitas concitet, Pauca prolatura sum, si benevolentia tua suas meis sermonibus aures accommodabit.

DAVID.

Cum & à me prima querelarum pars audita fuerit; æquum arbitror, & alteri vacas locare aures, ne quis immisericordem me putet. Humanæ enim infirmitatis illa natura est, ut ex omnibus accidentibus gravissimum putet quisque, quod patitur. Igitur copiam tibi facio, ne quid sinistrè pati te conqueraris, ut recondita in medium proferas. Satius siquidem, narrationi aliquid superesse, quàm deesse; licet supervacanea cum tædio dicantur, cum periculo tamen necessaria subtrahuntur.

C 5 tur.

tur. Proinde fortunam tuam indica;  
quicquid erit, justam à me gratiam in-  
dè accipies.

### THECOINE.

Verf. 13. Maximis erroribus res  
humanas intricari, ut & ea, quæ in ex-  
pectatione sunt, inexpectato exitu ter-  
minentur, & desperatæ res feliciter sub-  
leventur, nemo sanus negabit. Muta-  
tiones etiam crebræ summis insidian-  
tur regnis. Totum hoc, quod mun-  
dus appellatur, seu cœlum, seu terram,  
seu mare nuncupes, mutationibus e-  
juscemodi subjacet; Nihil in orbe fir-  
mum, exceptâ duntaxat infirmitate.  
Elementorum moles, quibus cetera or-  
tum suum debent; latente quodam-  
modo spiritum trahit; latente modo  
fatis fungitur. Horum vicissitudine  
& alteratione modò illud nascitur, mo-  
dò hoc interit. Fulgentissima cœli  
lampas, aureus Titan, nocti cedit: quo-  
tidiè minatur, diem aliquando futu-  
rum, quo mundi exitium instabit gra-  
vissimum, modo radiis privatur diem  
fore

fore præfigurans, qui vacuum lumine videbit. Ducem non immeritò pal- lens Lunæ vultus sequitur. Nec ab hoc alieni dolore siderum orbis. Nunquam veris perpetua amænitas; nunquam æ- statis calor perpetuus; nec autumnii vi- cissitudo constans; Ipse deniq; hyemis rigor vicissitudine laborat. Tempora temporibus limitantur. Magnâ tute- là stant ac vigent omnia, citò ac repen- tè dissiliunt. Nemo autem nostrum mortalem se cogitat, nemo imbecil- lem. Revocandis ad bonam frugem vel amico ingenuo, vel acri opus est i- nimico. In secundissimis verò rebus maximè est utendum consilio amico- rum. Quippè securius, consilium ac- cipere, quàm dare. Nec castigatio no- cet, sed medetur specie nocendi. Et privatum commodum publico est postponendum. Quantum enim Lu- næ Sol præstat; tantum etiam publicum privato. Cur autem, *Invidiosissime Rex*, publicum privato postponis? Pace tuâ dictum sit; Improbas postulatuna  
C 6 fami.

familiæ, nec tamen depulsum tuum re-  
vocas. Hunc prosequeris, hunc exilio  
mactas, ad quem populi totius conver-  
si sunt oculi, tanquam ad *prunam* suam,  
successorem tuum. Omnia quidem  
*universi hujus conditor* nobiscum com-  
municavit; unicum tantum excepit.  
Et hoc immortalitas est: hæc ipsi cedi-  
mus, quia mortales, nullo non die mo-  
rientes, *vel. 14.* Omnino autem mo-  
rituri sumus, ita afficimur ejus absen-  
tiâ, ut *sine illo vita nobis ingrata sit.*  
Et regni status difflurus videtur, a-  
quarum instar, quæ diffluentes in ter-  
ram neququam recipiuntur. Licet in-  
terdum parentes liberorum amantissi-  
mi exhæredent filios, & à familia ac  
gente ablègent; quotidiè tamen cor-  
rectos hoc poenæ genere, lubentissimè  
apud se degere optant, desiderant, pre-  
cantur. Graves quandoq; motus ado-  
lescentiæ fidâ senectutis statione pla-  
cidantur. Hæc dicta sunt non infau-  
sto quodam vaicinio; non humanis  
hæc res consiliis regitur, Nec optima-  
tum

tum studia hoc volunt. *Deus* ipse, *Deus*  
quem veneraris, cuius vota poscis, quē  
omnium tuarum rerum arbitrum co-  
gitas, providentiā suā hoc regit. Ipse  
hoc studium in populo excitat; Ipsius  
arbitrio tanta alacritate populi repo-  
scitur. Hunc instigante *Deo* populus  
anhelat, ut ea ratione revocetur ab exi-  
lio. Adeò illi acerbae sunt contentio-  
nes hæc in tua familia, ut nec justissimi  
exilij solatium habuerit. quoad *Gesurū*  
limina terit, quam quod te inimicum  
illi penitus vider. vers. 15. Et ob ea-  
dem hæc non accessura unquam fue-  
rim, ne & mihi tuam imponerem i-  
ram; nec nunc, ut conspectum tuum  
subirem, mea voluntas fuit, sed fortuna  
perpulit. Videbam enim, pericli-  
taturum populum, nisi ei restitutione  
hæc succurreretur. Veni itaq; vultus  
tuos venerans; nec ultrò veni; Populus,  
populus, inquam, *Judaus* me coëgit, ut  
facerem. Hæc metus ab ipso incassus.  
Dixi itaq; tantis circumventa angustijs:  
Regia subibo te cæca, forsitan impetrabo  
gratiam



gratiam; nec enim immitem precibus mentem Regis audio. Huic, nisi forsitan inimicus quidam genius impedit, cuncta revelabo. Quid si rejiceret petita? frustra praesidium ab aequitate expectamus, nisi ipsi aequitati paramus ante praesidium. Diu est, quod Clementiae tuae fulgor apud cunctos emicuit. Diu est, quod te Clementem viduarum Patronum exhibuisti. vers 16. Nectantus me tefellit rumor. Ignoratae, viduae, mulieri auscultasti, favore succurristi, felicitatis participem non indubiae reddidisti, liberans me viro illo, qui perditurus erat me, tua nisi intercessisset autoritas. Me dico, me quae extincto filio de vita desperabam. vers 17. Votum nacta, sic apud me cogitavi: si in causa hac privata Rex rationem mei habuit; si filio meo consulendum iudicavit; certe nec sui suorumque oblivisci poterit. Ingenita charitas liberorum specimen infigne edet; revocabit in publica causa filium suum, quod publicae tranquillitati consulatur, quod

quò adolescens exilium mutet. In si-  
mili siquidem causa similem sententiã  
constantè feret. Ponet humanos af-  
fectus, nec vanã imagine decoris in  
suum sæviet sanguinem. Sat castiga-  
ta adolescentia juvenis; sat deformata  
regij stemmatis majestas; nec ad extre-  
mum supplicij finem tendet. Unico  
juveni unicã imperij spei, culpam re-  
mittet; Juveni, ad preces, ad obtesta-  
tiones verso pœnam leniet, veniam er-  
rori humano; veniam adolescentiæ da-  
bit. Sat pœnarum expertus est. Totus  
populus, tota regio sibi noxæ damna-  
tum dari postulat, precatur, contendit.  
Grato animo & memori cognoscer,  
quicquid ipsius gratiã rogantibus con-  
cesseris. Neq; iram hæc eliciunt; Uti  
*Angelus Dei es*, qui bonum & malum  
audit. Tuum est, pro ea, quã polles,  
prudencia in his populi supplicatiõni-  
bus, in his publicis votis, quicquid li-  
bitum fuerit, statuere. Revocanti  
proscriptum ab exilio *Dei benedictio-*  
*ne suã aderit; benedictione eã, quã u-*  
*niverlam*

diversam domum, univcrsum familiae  
ordinem, universos deniq; Imperij fa-  
sces in perpetuum firmiter stabiliet,  
proteget, fortunabit.

DAVID.

Verf 18. Hæc ex tuo penu Mu-  
lier, proficisci, res ipsa negat; Alum  
consilij suggestorem auguror, cui invi-  
diam, si quædam indè nasceretur, à se  
amovere animus fuit. Nec molestè  
fero tua verba; Confitere modò ve-  
rum, nulla tibi indè calamitas exsurget.  
Nam & mortalitatis me admonuisti, &  
filij causam optimè egisti. verf. 19. No-  
li mendacio eloquentiam commacu-  
lare. Nonne opera *Joabi* tibi in totâ  
hæc re adfuit? Cave celes me hanc rem!  
Ego videro, quid de ea statuam.

THECOINE.

Veritatis oratio soluta esse debet  
& libera, & celsas fortunas, idem  
loqui decet, atq; sentire: Rem  
cutem manifestam inficiari, arguentis  
arimen est, non diluentis. Quippè  
imprudenter certa negantibus diffici-  
lior

lior venia est; Mitior autem irrogari  
pœna solet verecundiæ. Nam culpam,  
præsertim deprehensam pertinacitèr  
tueri, altera culpa est; Et sanctissi-  
mum, ut consuescant vera dicere ho-  
mines. vers. 20. Ita res est, ut loquu-  
tus es, *Invidiosissime Imperator*, Non me  
vel ad dextram vel ad sinistram flectam.  
Ita me ipsa amet veritas, vera protuli.  
Omnia *Joabi* consilij aguntur; hic  
meus autor & præmonstrator fuit; hic  
omnia indidit verba ori ancillæ tuæ;  
hujus consilium fuit, ut versando hunc  
sermonem de filio meo devolverer ad  
causam filij tui. Revocandi istius stu-  
dio fecit omnia. Populum in hoc  
subnixum videt. Major tuorum est,  
cui naturali jure septrum debetur; à  
quo ipsum excludere iniquissimum es-  
set. Tu autem *Domine*, ut sagacissi-  
mus, ut *Angelus Dei*, assequutus consi-  
lium nostrum. Tacito consensu pa-  
cta nullo indicante cognovisti, quò te  
superis æqualem reddis. *Dei* quidem  
munus est, quod vivimus; Sapientiæ,  
quod

quod bene. Hac sine nullus stare aut  
esse valet Principatus. Itaq; Impera-  
torem moribus senem esse oportet,  
quippè temeritas est florentis aetatis,  
prudèntia senectutis. Hac re uberrimè  
Deus T. O. M. donavit, ad cognos-  
cendum, quicquid fit in terra: qua a-  
ctiones tuas ita diriges, ut & nostri vo-  
ti participes fiamus, nec se regio spre-  
tam aut præteritam judicet. Ego hinc  
summa cum gratiarum actione, quod  
& me, & meum sermonem clementi  
dignaris vultu, ab eo; Deum precans,  
ut te diu sospitem in totius regionis e-  
molumentum & conservet, & adver-  
sus hostes perpetuam largiatur victo-  
riam.

#### DAVID.

Regi indecorum est, per semeti-  
psum procurare omnia. Magna e-  
nim negotia magnis adiutoribus e-  
gent; nec sibi quisquam ambitiosè, atq;  
alijs amicè consulere potest. Quibus  
autem singulis judicij parùm, omnibus  
plurimùm. Nec potest Princeps sua  
scientia

scientia cuncta complecti. Ceterum  
securius expediuntur negotia pluribus  
commissa. Itaque vestro iudicio utar,  
*Proceres*, vestris consiliis stabo. Con-  
sultite *Regi* vestro an ex utilitate fuerit  
juramentum hoc incio & impruden-  
ter ablatum? Quisq; liberrimè sen-  
tentiam proferat: siue tristes saba huc  
exilio dabunt, siue urna liberum pro-  
nunciabit, nihil movebor. Confir-  
mabuntur potius nostra consilia, cum  
sentiemus, prudentibus, fideliterq;  
svadentibus idem videri. Infelicis e-  
nim Gubernatoris est, per se solum &  
Remp: regere, & ardua negotia admi-  
nistrare. Sed ne quis totius Scenæ i-  
gnarus vel gratia vel odio in léges pec-  
cet; Tu, *Seraja*, ordine totam narrabis  
causam; quâ cognitâ cæteri in suffra-  
gia ite; & quicquid utile vel inutile cui-  
quam visum fuerit, diligenti serie pa-  
lam explanate.

SERAJA *Secretarius*.

2. Sam. 13. Triennium præterla-  
psum est, cum foeda discordiæ moles  
Regiam

Regiam turbavit. *Amnon*, *Regis filius*,  
ut vidit *Absolonis* sororem, cui *Thamar*  
nomen erat, gravi morbo laborare ce-  
pit. Venuustissimæ formæ puella gra-  
tias oculis circumferebat; pudicitiaë  
famâ insignis in patria domo vitam a-  
gebat. Omnes deniq; virtutes formo-  
sissimum plenadote hoc corpus cumu-  
lârant. Cujus illustri suavitate in di-  
versa raptus *Amnon* quasi letalem hau-  
sisset cicutam lecto decubuit. Pallere  
inde, gravitèr amore confictari, deniq;  
omnibus spoliari viribus. Nec im-  
meritò quidem. Virginem esse vide-  
bat; atq; ideò pro more virginum ar-  
ctius asservari. Sed nec videndi pote-  
stas erat; donec amici sublevatus con-  
silio, cui se virginis amore uri detexe-  
rat, his verbis in facinus erigitur: *Regis*  
*filius es; sororem ex alia amas: Rex quo-*  
*que futurus es. Cuba in cubili tuo, æ-*  
*grotum age. Patri te, tanquam mor-*  
*bo laborantem invisenti dices; Ve-*  
*niat quæso, Thamar, soror mea, ut re-*  
*ficiat me cibo, quem paret ante oculos*  
*meos,*

meos, ut eum videns comedam è ma-  
nu ejus. Postmodùm & solitudo &  
cupiditas consilium dabit. Violenta  
consilia amor excusat, & sanctum ma-  
riti nomen delet injurias. Nec ar-  
duum facinus, inermem & mulierem  
opprimere. Decumbens itaq; ægro-  
tum agit. Continuo Rex ad eum ve-  
nire, exquirere, rogare, quo morbi ge-  
nere laboret? Fictis ille lacrymis ro-  
gare, ut *Thamar*, soror sua, veniret, pa-  
ratura ante oculos ejus duas mattyas,  
ut reficeretur de manu ejus. Rex fi-  
dem petitis adhibens misit ad Thama-  
ram domum, quò diceret: Abi in do-  
mum Amnonis fratris tui, & para ei  
cibum illum. Patris illa monitis pa-  
rens ad domum Amnonis perrexit ire.  
Assumptam inde massam, quàm de-  
spuerat, paravit in mattyas ante oculos  
illius, & coxit mattyas. Inde accipiens  
sartagine effudit coram eo, quod re-  
nuit comedere. Dimissis deindè, qui  
aderant, solus in cubiculo mansit: *Tha-  
mara* verò dixit: afferto cibum istum  
in



in conclave, ut reficiat e manu tua.  
*Tbamar* nihil mali verita *mattyas* illas  
accipiens attulit ad *amnonem* fratrem  
suum in conclave ipsum. *Amnon* au-  
tem *vasaniâ* amoris stimulatus non  
diutius differendum statuit. Admo-  
vens ergo se, ut comederet, reluctan-  
tem aggreditur. Lacrumans illa nunc  
avertere precibus crimen, nunc vim vi  
effugere: & ut primum fari potuit, ne  
tanto, inquit, crimine frater polluas pa-  
ternam domum. Si qua pietas su-  
perest, si in Sororem durat affectus,  
tantum aversare nefas: ne tale quid in  
gente Dei electâ committas. Me mi-  
seram! quâ ope, quibus viribus tantum  
derivarem opprobrium? Te flagitiis  
contaminatum quilibet aversaretur.  
Regem conveni, cui tua vota, tuum  
amorem commendabis; Ille sinet, ut  
felicibus hymenâis jungamur, tum ple-  
num beneficium fatis debebimus. Ille  
verò spe tumens, quam amor fecerat,  
neutiquam acquievit; sed robustior  
expugnavit virginis animum. Ast u-  
bi

bi odio & iracundiæ ceteræ cupidita-  
tes jam cesserant, invidiam repulsæ  
transfert in ipsam; Furiarum occupans  
officium de thoro præcipitat, domo in-  
fontem extrudens. Lacrymari illa,  
cælum clamoribus miscere, deniq; di-  
cere: Me miseram! malum hoc altero  
gravius, quo conflector. Vitiatam  
domo expellis; quo vultu virgines ad-  
spiciam, virginitalis amisso spolio? Il-  
le liberius irascens, furebat violentus.  
Nec enim pudore aut infelicitate cæ-  
ptorum agitabatur, sed inclamans pue-  
rum auxilio ejus extrudit ædibus;  
faciam, inquiens, ut hic dies  
tristior tibi, quam mihi illuxerit.  
Abominor faciem tuam, tot cura-  
rum mihi causam. Sic vocife-  
rantem nec formosissimum corpus,  
nec omnium Gratiarum instructa ge-  
nere facies incepto movit. Puella,  
cui nihil nec amœnitatis, nec delicia-  
rum. quod in fæminis miramur, dee-  
rat, domo non levi insignita nævo eji-  
citur.

citur. Nec obstinatum lacrymæ, quibus  
etiam saxa, asperrimosq; facile leonum  
furores lenisset, moverunt. Discissa  
tunicâ, discissa palla purpurea nuda &  
mærens cineres inspergit capiti. Quo  
oculo, querebatur, cerneretur deinde  
attolli, non cesto, non illa simplici vit.  
ta digna, non cæteris virginitatis in-  
signib; deniq; nescio cujus fratris con-  
tubernio assiveia? Sic lugentem *Absolon*  
*frater* convenit; eiq; quarenti: sa-  
tin, salve? minimè inquit: quid enim  
salvi est virgini amissâ pudicitia? ve-  
stigia insignis injuriæ in me vides. Ad-  
spice discissas vestes: Ceterum corpus  
est tantum injuriæ expositum, animus  
minimè. Da dextram fidemq; haut  
impunè mœcho fore. *Amnon* est, qui  
pro fratre temerator abstulit illud mi-  
hi, quod recipere ne utiqvam ab inimi-  
cis potero fatis. Consolatur *Absolon*  
ægram animi, amovens noxam à co-  
acta in autorem delicti; mentem pecca-  
re, non corpus; & unde consilium ab-  
fuerit, culpam abesse. Frater tuus est,  
in

inquit, ne apponas animum tuum ad  
hanc rem. Et si ipse fraterni juris o-  
blitus est, te tamen decet illius ratio-  
nem habere, & cavere, ne ejus infamia  
in te, & nos omnes, qui fratres sumus,  
promulgata redundet. Postremò co-  
gitandum tibi est, Regem non tui tan-  
tùm; sed etiam illius rationem habi-  
turum, qui similiter filius est, & quidem  
primogenitus: ac proinde te omnibus  
querimonis tuis nihil effecturâ. Hisce  
consolatam in ædes suas deducit.  
Ibi adhuc vitam trahit sibi invi-  
sam. Mitto memorare, ut famâ tan-  
tâ arserit Serenissimi Regis nostri vul-  
tus; ut iterum pallore mutati uno  
eum incertis manibus horrore tre-  
muerunt. Quam acriter flagrantibus  
oculis jurgatus fuerit eum filio. Ce-  
terum *Absolon* nunquam hujus rei mē-  
tionem apud eum fecit, sive improban-  
do sive probando, Exacto biennio exitiū  
*Amnoni* maturare visa sunt fata *Greges*  
*Absolonis* pascebant in planitie *Hazoris*:  
ad hos tendendos proficisci volebat

D

*Absolon.*

*Absolon.* Solebat enim ipse interesse,  
& convivia agitare. Hoc prætextu in-  
terimere statuit incestuosum. Ingre-  
ditur ergò palatium; *Regem* obnixè  
rogat, ut se comitem & convivam cum  
totius aulæ familiis adjungat. Re-  
nuentem tandem multis cum preci-  
bus, multis cum votis cogit, ut sobo-  
lem regiam cum *Amnone* unà ire per-  
mittat, Urgente *Absolone* Rex dimit-  
tit cum eo *Amnonem* & omnes filios  
*Regi*. Ille flagitatione non perfuncto-  
ria servos suos in auxilium poscit, & in  
cadem armat *Amnonis*. Latum vi-  
no, & nihil verentem stipatoribus un-  
diq; amictus aggreditur, vi probrum  
& dedecus ulturus. Undiq; ferrum  
micare, cælum ululatu inhorrescere,  
& quisq; filiorum *Regi*, quâ poterat,  
evadere. Unicus restitit *Amnon*, quem  
aggressi ictibus quibusdam dejecerunt;  
quo prolapsus institit victor, reclusitq;  
adhuc mori dubitantis vitalia, Fama  
autem omnia in pejus extollente, mors  
pro certo omnium nunciabatur; Nec  
quæ-

quenquam evasisse pro certo puta-  
bant. Qualem Regis animum tunc  
fuisse putas? viduam domum, occi-  
sam sobolem, desolatam imperii Ma-  
jestatem videbat. Nec lacrymis con-  
stantissimus imperabat. Discissæ vestes,  
lacerati thoraces, evulsa cæsaries, o-  
mnium videbatur luctus. Nemo in-  
terim audebat interrogare tam acriter  
æstantem; donec *Jonadab*, *Simeæ* filis,  
accedere ausus, ut à lugente audiretur  
pacatus, primùm eosdem simulavit af-  
fectus. Cumq; hac arte locum monē-  
di sibi aperuisset; Ne Dominus meus,  
inquit; putet, omnem Regis propagi-  
nem morte esse affectam *Amnon* solus  
occidit; hunc *Nemesis* inimica expe-  
ctavit; *Absolonis* manibus occisus ex-  
spiravit. Hic enim se ab ipso ultionem  
sumpturum constituit, ex quo die So-  
rori vitium attulit. Abominare ergo  
hanc famam, tot curarum tibi causam;  
neutiquam omnes perierunt. *Amnon*,  
unicus *Amnon* gladio occubuit. Sic di-  
centi illi supervenit tota Regis familia.

Pullata erat, & tristia voce promebat.  
Tota aula insolito tumultu lugebat, &  
calus regii juvenis omnium ora in lu-  
ctum vertebat. *Absolon* verò edictum  
in se *Regi* metuens ausus est ad avun-  
culum maternum Regem *Gesuri* con-  
fugere. Cujus fidem tutiorem sibi ex-  
ploravit. Ab hoc acceptus integrum  
triennium abest; nec interim *Rex* ex-  
sortem mæroris diem habuit.

**JOSAPHAT.** *Cancellarius.*

2. Sam: 8 16. Strenuè consulendum,  
**O Rex**, aut expectandum tanquam ve-  
latis capitibus maturum exitium. Con-  
cessio veniæ pro vitio tibi erit. Nec  
aut famam, aut *D. um*, si te de isto ul-  
cisceris, lædi puta. Nam & primus  
peccavit in patrem, & ipsius supplicio  
qui te contemnunt, vel odere, muta-  
buntur. Parricida est, funestum in  
fratris sanguine tinxit ferrum, quod  
etiamnum ejus sanguine tepet. Vul-  
tus etiam hominis scelus fingit. Stri-  
ctos undiq; gladios vibrari audio; mi-  
cantes sanguine nostro video; Inter  
**COCNAM.**

cœnam, vino amens, sanguine huma-  
no ludit. Ultiores video juvenis manes,  
diro horrore obversantes; dira cient,  
fratremq; sacrilegum in ultionem po-  
scent. Ejus sanguine litabitur; nec im-  
punè; cum ipsemet tantum ausus sit  
nefas. Nec ultionem intelligo. Hæc  
quasi stimulavit insolentem ad facinus,  
Factum infectum fieri non poterat; &  
forti ferendum erat animo, quod mu-  
tari non quibat; à Rege etiam jam tunc  
miser ille castigatus luerat pœnam Ul-  
tionem autem nemo sibi nec ipsi per-  
mittere valet. Hæc justissima cecidit  
causâ, quam injustam nimius ultionis  
ardor reddidit. Et totius populi in-  
terest, ut talis prævaricator non expe-  
ctato juris patrocinio, non expectata  
legum autoritate violentis confisus  
manibus sceleris pœnam luat, Sed  
juramento erit standum? Minimè.  
Hoc enim incauto, nulla vera interve-  
niente causa ablactatum. Nec jura-  
mentum iniquitatis vinculum esse de-  
bet. Juramentum autem omne ser-  
vandum



vandum est, quod absq; dispendio salutis æternæ servari potest. Sed an parricidæ, an exuli, an proscripto, an violatori pacis publicæ datum obstringat, viderint, quorum interest. Non juramenta hæc, sed potius perjuriam sunt dicenda, quæ contra expressum Dei mandatum, expressam contra justitiam, expressum contra regimen attentantur. Adde, quod juramentum contra bonos mores præstitum non fit obligatorium. Sic nec te religio ista moveat, ista, dico, religio, quæ improvisè astutiâ non levi excidit. Nitendum est, ne timidâ remissione spirituum videaris Justitiæ oblitus, quâ homo hominem interimens reus fit mortis. Fœdera, leges, pacta cum exule, cum Parricida, cum Rebelli nec audi. Si supercilium pones, si culpam remittes, majora audebit, & forsitan in te. Tristè dictu; sed si te nimio lenitatis vitio seductum remissionem culpæ præstare confiteris, innocentem esse dices, & tu reus, in quem ista patrata. Hominem  
preme,

pe me, ne tuorum Ducum prævarica-  
tio illam causam inutili affectu confi-  
ciat, Nec in Tyrannidem te adorno:  
Illa facilitas, illa indulgentia, tua illa  
tuorumq; incauta in eum profusio  
prodet præcipuas imperii vires, aperiet  
injuriis despectam dignitatem. Jam  
quidem percussi sunt, jam obriguerunt  
metu; Sed ubi vires recipient, ubi re-  
spirabunt, ne utiq;am illos tumultus  
Æolico tenebis utre. Erumpent, &  
tuam regiam funesto laecessent impetu.  
Nec contumacia illa finem habebit, ni-  
si sanguine satiata, ò Rex, fuerit. Pro-  
inde mitte exulem, incertum, an sat fi-  
dum, an sat reconciliatum, in regnum  
recipere. Audi, Deus, audi, tantum  
abige malum! Parricida hic visurus est  
templum? visurus justissimi Regi fa-  
ciem? visurus tanquam triumphans  
urbem? O facinus fulmine expian-  
dum! Tene oblitum patriæ Majesta-  
tis? cui cum Rex sit, vitam & opes de-  
bes: Tene oblitum fraterni amoris, qui  
tibi cum fratre intercedebat? Censui-

si ne æquum, manus fraterno inquina-  
re sanguine? Credidisti ne fas esse, ge-  
nialem mensam, geniales dapes huma-  
no fœdare cruore? Stringere ne oport-  
uit gladium in fratrem, in hominem.  
cui antea remiseras delictum, cui grave  
caput erat vino, nec pes nec manus of-  
ficio suoungebantur? Incautum, ni-  
hil mali verentem aggressus contuber-  
nio mortalium eripuisti. Quid lacry-  
mas? forsitan ideò tristaris, quod non  
omnes unà perierimus. Manus exten-  
dis deprecantes, tanquam in signum  
pœnitentiæ? Sed calent hæc fraterno  
sanguine: Quin tu respondes, æquum-  
ne duxeris, in libero populo, in libera  
cœna, in hospitio amico adversus mo-  
rem civilem, adversus disciplinam ma-  
jorum contra divinum humanumq;  
jus, hominem tristi morte conficere.  
Nec hominem tantum, sed fratrem,  
sed natu majorem, sed futurum Regem.  
Quandoquidem tu nec Deos hospita-  
les, nec Majeſtatem regiam veritus ad-  
versus amicitiaæ sacrum vinculum, ad-  
versus

versus germanitatis fidem, adversus  
communia foedera tantum nefas es au-  
sus; & quantum in te fuit, majestatem  
hospitii, qua salus hominum ad hunc  
usq; diem stetit, solvisti; Regemq; Pa-  
trem tuum in eam necessitatem addu-  
xisti, ut aut Reipublicæ, aut sui, suo-  
rumq; obliviscendum ei sit; Tu potius  
tuo delicto plectaris, quàm Resp: tanto  
suo damno tua scelera luat. Triste  
exemplum: Sed in posterum ejusce-  
modi erit juventuti saluberrimum. Te  
quidem, Rex, cum ingenita caritas li-  
berorum tum specimen virtutis tuæ,  
tum juventutis error, tum quod post  
fata tua ei debetur sceptrum, ut rigo-  
rem lenitate mollias, movet: Sed cum  
aut morte ejus sancienda sint hospitii  
jura, fraternitatis foedera, Regiæ Maje-  
statis imperia; aut impunitate ei con-  
cessâ in perpetuum abroganda: nec par-  
ricidam quidem hunc, si quid in eo  
regii sanguinis est, recusare censeam,  
quin hospitii fidem, jura divina & hu-  
mana, tam regia quàm privata, culpâ

suâ nimis violata, supplicii poenâ resti-  
tuat, & tantum morte non vulgari ne-  
fas luat: Age eat, meritamq; scelere  
poenam sanguine suo, persolvat.

BENAJA. *Consiliarius.*

2. Sam: 8. 18 c. 23, 23. Jus omne  
supra omnem positum esse debet inju-  
riam. Ita *Serenissime Rex & Proceres,*  
rectè veteres. Etiam nos admittimus,  
sed cum limitatione. si maneat intra  
*cancellos humanitatis; si non sit nimis*  
*rigidum.* Sed de hoc merito jam quis  
dubitet. Quis enim non sinistrè ferat,  
jus tam strictum in eminentis profa-  
piæ viro servari? Occidit quidem fra-  
trem; Occidit, sed temerorem Soro-  
ris, sed delusorem Regiæ Majestatis.  
Hanc simulatione morbi risui expo-  
suit. Nec hoc contentus facinore,  
probro expositam Penatibus ejecit, no-  
vum novo addens crimen. Incestum  
commisit, incestuosas, inquam, nu-  
ptias sectatus. Sed nec hoc contentus  
divortium fecit, divortium inquam, li-  
bidine exsaturatus; libidine, quâ nihil  
in

in orbe ignominiosius, nihil turpius,  
nihil deniq; magis à Deo aversum. Hæc  
causam præbuit, quo mactaretur. Hæc  
instigavit *Absolonem*. Et cum dolorem  
justum prosequenti non sit resistan-  
dum; absurdum videtur, autorem fieri  
delicti, qui delictum ultus fuit. Jura-  
mentum cogita, ô *Rex*; cujus contem-  
pta religio Deum ultorem habet. Ce-  
terum juramentum eum non ligat, qui  
præstitit; dum ille, cui præstitum fue-  
rat, servare negligit, quod promisit.  
At jam ille totis viribus precatur, ut  
exilio excedat, tuæq; restituatur aulæ,  
ut reverentiam sibi conciliet, tiroci-  
nium in omni virtutum genere ponet;  
Te, tanquam *Regem*, tanquam *patrem*  
venerabitur. Lenitatis tuæ erit, sic  
composito indulgere, ne quid detri-  
menti patiat. Inclinatione tanta ani-  
mi ad lenitatem, miserum in officio  
continebit. Crudelitas contra, quæ  
nihil aliud est, quam atrocitas animi  
in exigendis pœnis, nunquam ferocem  
juvenis animum molliet. Duabus au-

tem de causis punire Princeps solet, si  
aut se vindicat, aut alium. Difficilius  
est moderari, ubi dolori debetur ultio,  
quàm ubi exemplo. Supervacuum  
est hoc loco admonere, ne facile cre-  
dat, ut verum excusiat, ut innocentiae  
faveat, ut appareat non minus rem agi  
periclitantis, quàm iudicis. Hoc ad Ju-  
stitiam, non ad Clementiam pertinet.  
Nunc illum hortamur, ut manifestè  
laesus animum in potestate habeat; &  
poenam si tutò poterit, donet; sin mi-  
nus, temperet. Moderationem hanc  
adhibe, Serenissime Rex. & quod se-  
mel jurasti, restitue exulem tuum. Sci-  
to illius reditu conspectuq; , tanquam  
salutis auspicio, promptiores ad omnia  
fore subditos. Equidem vocandum  
esse censeo, excusataq; temporum ne-  
cessitate, qua hinc abactus ad novam  
lauream invitandum. Ex dignitate  
tuâ erit, si exulem, si unicum clemen-  
tis officio Patris functus revocabis Nec  
clementia Regum adeò strictis com-  
pescitur claustris: quandoq; legum ca-  
nones.

nones perrumpit, & potestate sua u-  
tens noxius remittit culpam. Probro  
provocatus eadem comisit: Probro;  
cujus cogitatione etiam pectus horret.  
Nec incestum homicidio minorem pu-  
to. Hic civilem committit eadem ta-  
libus studiis intentus. Extremæ au-  
tem dementiæ effec, ea suscipere, quæ  
nullum profus in vita usum habent.  
Reditus ille tot tantaq; commoda se-  
cum affert, ut publica læticia satis su-  
perq; testatur. Exilii infortunio ma-  
status lares & quidem patrios lustratus  
recipit: Parricidæ nomine pollutus,  
defensione iusta liber pronunciatuq;  
& quidem ob punitum incestus crimē.  
Unicus regni hæres, in quo fortuna to-  
tius regionis, totius populi, totius de-  
niq; profapia sita est, in solium subli-  
matur in spem regni recipitur. Me-  
ritò igitur reducendus, cum ejus redu-  
ctio tanta, & tam utilia, tam regiæ fa-  
miliæ, quam nobis omnia præstet.  
Patri seni jucundum erit, in ultimo for-  
tunæ articulo, in extrema avi periodo  
supersti-



superstitem relinquare filium; filium,  
cui sceptrum, cui solium, cui iusticiam,  
cui deniq; totam familiam concredat.  
Quam svave, quam jucundum seni, fi-  
lium habere, qui in emolumentū tam  
publicæ, quàm privatæ rei excreseat!  
Senectutis hic incremento erit solatiū,  
dum sapientia & virtutis suæ merito  
eam leniet. Nec jucunda tantummo-  
dò, sed & necessaria illius revocatio e-  
rit. Huic regnum debetur; hunc sub  
corona incedere populus videbit. Ma-  
jortuorū est; nec quis quā ob dotes ani-  
mi, ob dotes corporis dignior habentis.  
Desine te, hoc vivo, liberis orbū credere;  
qui patrio ritu in sceptrā succedant.  
Sine hoc liberras populi vacillabit; sine  
hoc dignitas sceptri peribit; existimatio  
Maximatum in incerto erit. Tutum  
igitur arbitror, nisi cui aliud videbitur,  
revocare hunc, Regni heredem. Pro-  
cerum etiam miserere, quos hūc vides.  
Nemo illorum est, qui quoniam pro  
Majestāte tua stetit, non debeat aut  
mortem, aut eā gravius exspectare in-  
testinum

testinum bellum. Quod futurum erit, si majori præterito alium in tantam adsciscas dignitatem. Noli tuam majestatem, noli tuam familiam, telis fortunæ exponere, & tot fidelissimorum preces spernere. Nec de mea fide dubites, quasi novandis rebus hunc revocandum arbitrer. Diu est, quod meam probasti fidem, nec ulla vis ab hoc sacramento me absolvet.

JASABEAM. *Herod & Confiliarius.*

2. Sam: 23. 8; Quamquam militiæ munus, cui me à pueris mancipavi, excusationem forsitan mererer, ut concilio tanquam minus habilis excederem; Tamen cum tua me virtus, *Imperator bellicosissime*, ad tantum proveherit munus, ut non tantum in bello meam operam, sed etiam in consilio adhibere postules; Tibi, totiq; populo eandem, & quidem ex debito, præstare non gravabor. Culpam *juveni* non purgo; sed ejusdem initium rejicio in *Amnonem*, impotentiaq; ejus *fautores*

res. Veniam *juveni* peto, quem fratris  
nefarium scelus ad tantum armavit fa-  
cinus. Ex supplice non perniciem pe-  
tes. Rectè ac ordine facies, si eum re-  
vocandum statues. Sat castigata trien-  
nii exilio adolescentia *Abfolonis*; sat  
deformata nobilitas: nec ad extremum  
supplicii finem tende. Unicam juve-  
ni culpam remitte; non tantam sene-  
ctutitæ maculam inure. Intuere  
populum; principis sui salutem orat;  
aspice expulsoꝝ concionem; irrita-  
tis populi animis noli subdere ignem;  
materiem seditioni præbere non est  
tuæ ætatis, non prudentiæ. Nemo id  
*Abfoloni*, poenam deprecanti suam vi-  
tio vertet, In te cudetur faba, si occa-  
catus nimii rigore juris ita infestam  
multitudinem in pravo certamine mo-  
vebis. Postremò ne id nos gratiæ *Ab-  
foloni* dare credas, jusjurandum dare  
parati sumus, non videri è Republica,  
in *Abfolonem* tam gravitè animadver-  
si. Sin immiti animo preces respuis,  
quantas clades hic morbus minetur Ju-  
dææ,

dææ, vel nullo proficente agnoveris.  
Nam ut pervicacissima sunt odia, quæ  
ex repulsæ injuriâ fervent: jure timen-  
dum est, ne aliquando populus, quod  
suis precibus consequi non potest, exci-  
dio armorum quærat, peregrinis gen-  
tibus, si ipse sibi non sufficit, æmulisq;  
non magis ad bellum, quàm ad præ-  
dam accitis. Si iuctuosissimo fidere  
percurrent domestica arma Judæam,  
nihil ab illorum furore liberum erit.  
Calcabunt aras, evertent urbes, fæda-  
bunt muros incendiis, & civili saugvi-  
ne suam furis consecrabunt novita-  
tem. Ne istis quidem fæderibus re-  
dierint bona fide in communionem  
reliquæ gentis. Proindè cum tempus  
venit, quo tibi potestas fieret tuam o-  
stendendi clementiam rumpe moras;  
Revocetur *Abfolon* pro quo favor to-  
tius plebis stat. Orant, ne se in rebus  
tam trepidis deseras. quo enim se, di-  
cunt, à Rege repulso ituros? nullum  
se Principem, nisi hunc, usquam in ter-  
ris habere. Tua igitur pietate, tuisq;  
vir.

virtutibus mitescent hæ quere læ , si le-  
nem te, si pacatum, si mitem populo  
præbueris.

E. L. E. A. S. A. R. *Heros & Con-*  
*filiarius.*

2. Sam: 23. 9. Non levia *Absolo-*  
*nem* existimo, *Imperator*, intuentem in  
te bona, tanquam paria, eò virtutem  
suam & vitam direxisse, quò omnibus  
charus acceptusq; videretur. Spes et-  
jam suas omnes ad tuum direxisse, sta-  
tum satis constat. Atqui nulla virtus  
erat, propter quam imitandus illi visus  
esse debueras, quâ ille æquè gloriam si-  
bi pararet quâ temperantia & continen-  
tia vindictæ. Mirari enim tuam con-  
tinentiam decet, quâ erectus inimicif-  
simum tibi caput bis saluum eripi vo-  
luisti. *Regem* istum, quem tibi casses-  
tendere constabat, quem tuum Mani-  
bus devovisse caput manifestum erat;  
hunc in fovea deprehensum, abscisâ  
tunicâ liberum è tua potestate dimisi-  
sti. Altera vice educentem exercitum,  
somnia deprehensum, nemine adver-  
tente

tente; noluiti uno procerum tuorum  
admonitus ē vivis tollere. Ita placabi-  
lem animum Fata tibi tribuerunt.

Hanc virtutem quoque *Abfolonem*, ad  
ceteras virtutes suas eximias quidem  
adjecisse opus erat; quā ornatus fratri  
non lethale infixisset vulnus; non ē  
medio sustulisset hominem, cui favo-  
rem, & debitam aliquando reveren-  
tiam debebat: Sed non est tantum ab  
hostibus armatis ætati teneræ periculi,  
quantum ab insurgente vindictæ sti-  
mulo. Qui vindictam sua temperan-  
tia frænavit, ac domuit; multo majus  
decus, majoremque sibi victoriam pa-  
ravit, quā nos Palæstinis devictis  
habemus. Sed adolescentia per se gra-  
vis & inquieta ardorem hunc juveni  
indidit. quem cum corrigere, cum e-  
mendare vitam velit, tu certè etiam e-  
mendabis iram. Fervorem & auda-  
ciam ætas quotidie aufert: quod desi-  
deratur, consilium indies crescit. Pec-  
cata autem præterita non nocent, quan-  
do non placent. Non autem placere,  
enix

enixa supplicantis petitio & omnium  
intercessio monet. Nihil officient pec-  
cata vetera correcto, cum superveniens  
justitia labem vitæ prioris abolevit. Sed  
non temerè ab exilio revoca: unum sit  
pœnitenti remedium, si supplicet, si su-  
percilium ponat, si se & causam da-  
mnet. Cave ergo te nimis lenem illi  
des. Revocetur, quandoquidem ita  
consultum est; sed hac lege, sed hac  
conditione, ne tuam faciem videat.  
Domi suæ securus, noxæq; exemptus  
vivat; rem suam administret: Sed in  
palatium venire, tuumq; latus comi-  
tari, nefas nec utile esse puto. Fero-  
ciëntem hæc lenitas ad majorem stimu-  
labit insaniam: bella, cædem, incendia  
spirabit: cupiet regnum, & quidem  
sceleratè cupiet, qui transcendere festi-  
navit ordinem ætatis, naturæ, moris,  
juris gentium. Obstabat frater major,  
ad quem jure, voluntate etiam Patris  
regnum pertinebat, suo sibi hunc gla-  
dio mactavit. Revocatum non in  
conspectum venire sines; solus degat à  
palatio

palatio remotus, donec vitam mutasse  
cum moribus constabit. Hac solitu-  
dine eripies *Absoloni* deficiendi consilia  
atq; vires; hac ratione periculum vitæ  
propellere à te poteris, ablegando eum,  
qui factione & viribus gravius quid  
movere poterat. Sic ille conjurandi  
atq; à te deficiendi mos paulatim exci-  
det ab usu; & clarissimæ indolis tor-  
rens ab ijs erroribus in justum alveum  
coactus, in consilia quidē non minùs for-  
tia aut militaria rapietur; sed multò æ-  
quiora, & quæ in virtutē nullā pugnent.

SAMMA. *Heros & Consiliarius.*

2. Sam: 23. 11. Quamquam & ce-  
terorum consilia adeò plena esse puto,  
ut rem actam hodierno die agere videri  
possim, si pluribus de his disseram; ta-  
men officium me & autoritas *Regi* mo-  
net, ut & meā his opinionem adjiciam.  
Et quidem reductio juvenis placet; Ju-  
ramento etiam standum arbitror; nec  
quicquam ipsius adventu timendum.  
Quid enim *Juvenis*? quid solus  
contra *Regem* illustrioribus stipatum  
purpuratis?



purpuratis? Et securi imperii non aliud certius est pignus, quàm paratus & semper in castris exercitus. Talem habes, & quidem instructissimum. Heroibus abundas, quibus ne unicum patrem finitimæ habent nationes. Octingenti ab uno nostrum armis petiti, trecentis hastâ occisis fugam capessiverunt. Trecentos alios ab uno fusos Sol vidit. Triginta quinque heroes tibi præstò, quorum operam pace & bello præstantissimam abundè expertus. Nos tres (sed cum pace ceterorum ne arrogantes videamur dixerim,) soli per infesta Palæstinorum agmina, inimica stativa, per tela, per ignes prorupimus in Bethlam, hausta ex fonte aqua, simili constantiâ, simili voltu graduque, contemptâ barbarorum vi ad tuum rediimus prætorium. Ego, & commiles hic meus, *Eleazar*, cum Philistæi inundarent, populusque terga verteret, in novale progressi, insignes inter conspecta cedentium pugnae terga, obversis cominus ad incundum prælium armis,

armis, ipso miraculo audaciæ obstu-  
pescimus hostes; circumferentes indè  
truces minacitè oculos exercitui exi-  
tio fuimus; Nec prius pugna finem ha-  
buit, quàm hostes fusi, & dexteræ no-  
stræ in gladio vibrando obstupuerunt.  
Mitto ceterorum enarrare gesta. Con-  
tinebit hic timor juvenem in officio;  
amicitias & hospitia exterorum tam  
vetera firmabit, quàm nova inveniet.  
Civilia enim bella, aut amore quodam  
cæco imperij, aut conjuratione volgi  
constant. Nihil verò ad reprimendos  
ejuscemodi motus commòdius est pa-  
rato & prompto exercitu. Sunt enim  
Optimatum factiones in principio de-  
biles ac timidæ; ut si paratæ copiæ, pa-  
rati milites sint, animadverti cum di-  
gnitate in perduelles possit: Sin verò  
plebejæ insurgent inimicitia, & in Re-  
gem armabunt innumeras manus; re-  
medium idem erit, exercitatissimum,  
assuetumq; disciplinæ militari frenden-  
tibus militem objicere. Plebs desidæ  
potius assveta, uno percussa certamine  
dirum

dirum abominabitur bellum. Ita in  
omnem partem tutandæ regioni, &  
vel antevertendis vel præmentibus fu-  
roribus utilissimus miles est, quem non  
con surgente belli tempestate quæres  
demum, non formabis: Hostem inter  
stipendia expectabit. Hæ copiæ tri-  
stia patriæ excidia averruncabunt; de-  
fectiones harum timore purpurato-  
rum marcescent, nec ulla civitatum  
tuum excutiet imperium. Gentibus  
autem externis quanta adversus te re-  
verentiæ causa hæ succinctæ, & ad nu-  
tum legiones? Suam me hercule pa-  
cem ex tuo arbitrio pendere videbunt;  
non sine vindicta lædi posse, non de-  
spici: Sedere te veluti ceterorum for-  
tunæ Regum judicem; in quorum tu-  
telam paria non fulgeant signa. Na-  
tionem nostram famâ insignem habe-  
ri omnibus patet; tanquam armis e-  
gregiam, & quæ bellum ferre possit;  
Quanto magis, si ad naturam exercita-  
tio armorum accedet, noverintq; tui  
hostes, non tirones, sed veteranos a-  
pud

puđ te ſſipendia merere. Nec hoc tantum rurorem faciet; ipſi ſuo cum damno haętenus experti ſunt, & experiętur, qui te laceſſent, longę aliud eſſe, tionibus in acie ūti, aliud egregios adhibere viros, qui annos non magis ex ſaſtis, quā ſtipendiis ſuis numerent.

AMITOPHEL. *Confiliarius,*

2 Sam. 15. 12.

Et ipſe ejuſdem opiniois ſum, *Sereniſſime Rex, & Purpurati*, revocandum eſſe adoleſcentem. Purgabit adventu ſuo crimen, & demiſſa animi veneratione debitum Regię Maieſtati honorum præſtabit. Dudum ipſe, ut revocaretur, meruit. Ex Judę proſapia eſt quod non in minima felicitatis parte ponendum, cum ad virtutis culturam, reſq; præclarę ac laudabiliter gerendas tribus ſeu familia ſtimulos non exiguos addat. Cultus in hac exhibetur Deo purus, ob quem, necum periculo intercidat, revocandus erat. Patre imperio præfectum videmus ob inſignem juſtię opinionem; Et ob  
E hunc

hunc merita leniri debuit poena. Quam enim plerumq; evenire solet, ut optimorum liberi parentum non raro degenerent, & majorum virtutes deserant; tamen in hoc futura animi magnitudo, & fortunæ insignis favor id elucere minimè persuadet. Educatus est à Patre summâ animi moderatione, & summo disciplinæ tenore. Nam & educatio laudem affert homini, si bona fuerit, cum plerumq; studia abeant in mores, & qualiter quisq; fuit educatus, talem mereatur vel commendationem vel vituperium. Sed quis non optimè educatum à tanto Rege neget? Ipsa experientia testatur, quanto zelo adulterium sit ultus, ne quidem fratri parcens. Regis filius erat, nec auspiciatissima favor fortunæ incautum pellexit animum, ut superbiæ habenas permetteret. Non extulit se opibus, non regio stemmate editus aliis se prætulit. Clientela rectè usus, patronus audit omnium; amicorum deniq; copiam non luxuriâ, non libidine, non indultu

indultu paravit; sed mansuetudine sed  
moderatione. Si personam respicis;  
quamvis bona in ea eluceant fortunæ,  
tamen egregium conciliant decus.  
Quam concinnus formægenius! quan-  
ta in voltu majestas, quanta deniq; in  
armis exercitatio! Neminem medius  
fidius illi vel robore vel agilitate parem  
esse arbitror. Et cum gravior sit virtus  
ê formoso veniens corpore; certè o-  
mnium preciosissimus erit Absolon.  
Huic non formâ mortalis par, non vir-  
tute erit. Et hæc utpotè præstantissima  
ceteris ob dignitatem longè antepo-  
nenda. Hujus in actione positæ tres  
species: *Justitia*, *Temperantia* & *forti-  
tudo*. *Justitiam* ab ipso suspici vindic-  
cat in fratrem ultio, cujus cupiditate  
crimen commissum diluit. *Temperan-  
tem* arguit rationis in libidinem, atq;  
alios non rectos animi impetus domi-  
nium, quibus ceteri adolescentum plus  
æquo indulgent. Hæc autem nihil vel  
ad affectus reprimendos potentius, ni-  
hil ad mores hominum aptius, nihil

E 2 deniq;

deniq; ad divinum Numen placandum  
efficacius fingi aut excogitari potest.  
*Fortitudine* coronâ insignem testantur  
expeditiones, quibus tuo lateri junctus  
semper intrepidè pericula mortis su-  
scepit, eademq; generoso animo per-  
tulit æqvitatî causâ. Aut igitur hoc  
duce olim Respublica orbanda, quod  
abominor; aut revocandus erit Ab-  
solon, quem indignum tantæ fortunæ  
auspiciis, non tanto virtutum cumulo  
benignissima fatorum stamina orna-  
sent.

#### DAVID.

Audivi Proceres, audivi consilia  
vestra, quibus commoda & incommo-  
da in Filii reditu procurando ostendi-  
stis. Quamvis verò graviori animad-  
versioni sit obnoxius, qui ex optimis  
prognatus majores suos dedecorat;  
tamen vestris aliquid precibus, preci-  
bus totius populi dabo. Abeat quis  
vocatam *Josabum*, ut ocyus se hîc si-  
stat; nec enim quicquam prius, quàm  
huc venerit, decernam.

*Pergit*

*Pergit loqui David, adveniente Joabe.*

2. Sam: 14. 22.

Deo res nostras curæ esse, vel ideò intellexi, quòd mirabili animorum consensu pleriq; quæ apud me constitueram eadem ut facerem, svasistis. Benè proindè Optimates habet. Vicit disciplina civilis; vicit imperii Majestas, quæ in discrimine fuerunt, an ulla post hunc diem essent. Non noxiæ eximitur *Absolon*, qui contra jus divinum, contra jus hospitale, cõtra jus cognationis noxiam commisit: Sed noxiæ damnatus donatur populo Judæo, donatur Procerum, precibus precariû, non justum auxilium ferentibus. *Vive Absolon*, felix hoc consensu Civitatis ad tuendum te! *Vive id facinus ausus*, cujus tibi ne parens quidem unquam, nisi juramento furtim & in scio ezepto veniam dedisset. Mecum in gratiam reverteris; populo Judæo, cui vitam debes, nihil majus præstiteris, quàm si tibi hic dies & hoc exilium satis documento fuerint, ut domi, militiaq; ultionem,

E 3      contra



contra jus divinum ac humanum tendentem, auris committere assvescas. Quod te, *Joabe*, respicit; cum salutem ipsius procuraris, æquum arbitror, ut ipsum *Gesure* reducas; nec hoc ingratum erit, tanta pro reductione ejus auso, priusquam saluum ipsius aditum impetrares: Hac tamen cautione, ut aliquo cædes piaculo luatur, Hierosolymas repetat, nec unquam palatium intret; nec ego ipsum videro. Ceterum familiam suam curabit, domum & agros colet, ubiq; liberè deget. Hoc ænnum excipio, ne ante oculos meos aliorum adhuc spirituum retinens oberrer. Quo die sine permissu accesserit, puta, ipsum à me gravissima indignatione commoto pœnas suo scelere dignas accepturum.

JOAB *Strategus.*

Verf. 24.

Diuturni silentii, Imperator, quæ eram his temporibus usus, non timore aliquo, sed partim dolore, partim verecundiâ, finem hodiernus dies attulit;  
nec

nec minus initium & ansam præbuit,  
gratiarum actionem meritam institue-  
re. Tanta enim, ô *Rex*, mansuetudo,  
tam inusitata clementia animû meum  
adeò commovit, ut silentiò eam in-  
volvere neutiqvam possim. Tantum  
in summa potestate rerum omnium  
modum prætereo, quo pervicacem de-  
pulisti insaniam, ultra modum in fi-  
lium sævire. *Absolone* enim vobis,  
*Purpurati* Reiq; publicæ reddito non  
solum in illius salutem cedere arbitror;  
sed & mea autoritas non levi hujus  
conjuncta vinculo. Dolebam, nec  
immeritò dolebam, tantam juventu-  
tis indolem immeritò consumi exilio;  
exilio, inqvam, pro patriis focis, quo  
regia, quo urbe, summo Deo sacrâ  
coactus aberat. Nunquam persuasum  
habui, nec fas erat, lætitiâ frui perpe-  
tuâ, illo absente, pro cujus incolumi-  
tate vota omnium videbam fusa. Di-  
stractus erat à meo latere, cui ob si-  
ngularem virtutem, ob tui sanguinis  
propaginem fausta & felicia quæq; o-

minabar. Ergo & mihi mea pristinae  
consuetudinis semitam, *Domine*, inter-  
clusam aperuisti; Hic dies documento  
fuit, me gratiam in oculis tuis invenis-  
se; Consilium meum non aspernatus  
voto annuisti. Quamquam graviter  
timebam; tamen beneficio me beasti  
tanto, cui parem gratiam habere nun-  
quam potero. Sed nec mihi soli re-  
stituisti. Omnium hoc erat votum;  
omnium supplicatio. Hanc clementiam  
omnibus ad bene de Republica speran-  
dum quasi signum aliquod sustulisti.  
Intellectum est enim mihi quidem in-  
muktis; nec Proceres ejuscemodi praes-  
sagium fugit. Commemoratis offen-  
sionibus, auctoritatem Procerum, au-  
toritatem Reipublicae suspiciens, do-  
loribus justis salutem antetulisti Juve-  
nis. Ille quidem faustum, ille commo-  
dum totius antea vitae hodierno die  
maximum, hodierno die illustrissimum  
cepit; Et summo quidem Optimatum  
consensu, tuo praeterea judicio gravis-  
simo & maximo. Ex quo profecto  
intelligis,

intelligis, quanta in dato beneficio sit  
laus, quanta in accepto gloria. Feli-  
cem Juvenem, cui fortuna amico lar-  
gitur aspectu patriam videre! Trien-  
nium integrum abfuit; quanto cum  
gaudio lumen subibit? Nihil publicè,  
nihil domi sine reverentia ager. Tuam  
gratiam, tuae Clementiae fidus pro nu-  
mine adorabit. Sed quid cesso ma-  
rentem in plenam laetitiae aciem pro-  
ducere? Tuo jussu hinc abeo, *Impera-  
tor, filium* reducturus pro cujus redre-  
ctione, nisi animo fallor, fata perpe-  
tuam largientur felicitatis cumulum.

AMASA, *Profectus aula,*

Perseverassem tacere, *Imperator,*  
nisi exire fore scirem, & redeunte *Abso-  
lone* mihi necessitatem fore dicendi,  
quæ quidem difficilior oratio erit, quod  
precibus, quasi parata fuerit. Et non  
solum contra tuum propositum, *Do-  
mine,* erit, quod postulata mea in effe-  
ctum deduci postulem; nec quisquam  
deprecatoris vel deprecantis personam  
objiciat. Scito, quod ad me attinet, in

*indignatio*

E 5

alij

alijs rebus cessisse intra fines juris mei  
cuilibet, quàm nimis pertinacitèr in  
obtinendo eo tetendisse. In certami-  
ne autem obsequii erga *Regem*, bene-  
volentia erga vos, honoris qui ab om-  
nibus praestatur, minimè æquo ani-  
mo vinci possum. Deprecantem quod  
concernit, quamvis argui possem, me  
aliquid huic ob sanguinis arctitudinem  
concedere; probavit tamen hæcenus  
mea in omnes integritas. Nec ego  
unquam hujusmodi crimen in animū  
induxi. Ascelere tanto abhorreo;  
nec immeritò bonum virum abhor-  
rere fas est. Non odium in Amno-  
nem, hunc tibi reconciliare jubet. Ni-  
hil est, cur eum odisse debuerim; Si-  
multate nullā turbatus, nullā amula-  
tione reum excuso. Nam & vitæ ge-  
nus, & nexus sanguinis, invidiæ mu-  
tuam inhibebat labem; à qua me lon-  
gius abesse cum studia tum vitæ genus  
& rationes ab ineunte ætatis cursu su-  
ceptæ, aliud docere possunt. Præliis,  
quæ in multis locis à Rege facta sunt,  
omnibus

omnibus affui; non periculo usquam,  
non labori meo peperci. In quibus si  
aliquid contra fas moliri voluissem, nec  
commoditas nec facultas defuisset. Fie-  
ri autem minimè potest, ut animus ta-  
lis, cui in quodvis vit. um amicitia præ-  
textu irruere lubido est, nunquam se  
prodat; quod neutiqum acutissimus  
censor in me reperire poterit. Non  
hæret in animo innocente ullum con-  
viciium, ulla malevolentia, aut sedi-  
tio. Quod igitur superest, ne nihil à  
me actum censeatur, æquum duco, &  
deprecor, ut juvenis in patriam redu-  
ctus officiosa demissione patriæ Maje-  
stati debitam præster venerationem.  
Satis scio castigatam ipsius temerita-  
tem. Nec novo pœnæ genere opus  
est, *Domine*, Gravius hoc ipsi futurum  
erit, quàm exilium. Præstaret potius  
apud exteros omni officiorum gene-  
re exultare; præstaret omni regio cul-  
tu inter peregrinos illustrem haberi:  
Nunc in reditu ab exilio revocato cul-  
tum illum non saltim denegari, sed,

quod gravius conciliato, à patrū volta  
exulare, id demum miserum est. Sat  
scio punitum; sat nozarum dedit. Quid  
ultra fieri ad placandam tuā Majestatis  
iram, Domine, mitigandumq; rigorem  
potuit? quam quod nos fecimus. Sup-  
plices tuam iracundiam deprecati su-  
mus; Consilia eò direximus, quò orbi-  
tati tuæ, quò orbitati totius nationis  
consuleremus. Ex mæroris ergastulo  
reduximus; quid ultra tibi, quid obse-  
quio, quid regno ipsi dabemus? Quem  
tibi Sponsorem, nullum ex hoc peri-  
culum fore, ex hisce dabo? neminem,  
nisi me, nisi populum, nisi proceres.  
Unicum restat, ut tanto supplicii voltū  
tuum exhibeas clementem; voltum,  
quem magis videre exoptatum habet,  
quam vitam. Quod si preces meas re-  
spuis; si furdas aures geris; precabor,  
ut me aulā dimittas, quandoquidem  
miserum singulis diebus conqueren-  
tem audire sine aqvā mente non pos-  
sum. Justum erit te huic annuere, cui  
nulla nisi in precibus spes. Proinde

hovp

o 3

cum

eum rerum humanarum maximum  
momentum sit Clementia; pro cento  
habeto, te hac insigniorem, quam om-  
nibus rebus gestis, laudem occupa-  
turum, quam nimio juris rigore. Tuo  
iudicio Domine relinquo, an ad con-  
spectum admissurus sis. Si petitionem  
meam comprobaveris, magnificentius  
te clementiâ usum esse, quam puniisse,  
omnès existimaturi sunt.

**Nova intercessio pro Ab-  
solone, ut in conspectum Re-  
gis admittatur.**

**ABISAI. Magister Equitum.**  
I. Paral. II 20.

Postquam non ita pridem, *Sere-  
nissime Rex*, Hierosolymis tuo jussu re-  
lictis Frater & ego Gesurem appulimus,  
ut reduceremus Principem nostrum;  
ut primum nos vidit, hilari voltu in  
regiam introduxit. Sciscitari deinde de  
patre, an esset in vivis? utq; valeret?  
Convivio & mensæ adhibitos variis af-  
ficere beneficiis. Tandem ad *Regem*  
*Itholmaj*



*Tbolmaj Avum suum deduxit. Cui  
mandatum nostrum explanantes de re-  
ditu impetrato verba fecimus. Quæ  
ut nos orantes audit; læto gratulari  
vultu, totoq; corpore lætitiã spirare:  
quamvis non modicum deinde ob di-  
scessum Nepotis sui turbaretur. Abe-  
untem complexus benè precari cona-  
batur, sed in vocis primordio defecit.  
Nec minus Juvenis Avicanicem largo  
lacrymarum imbri rigabat; ut tamen  
necessaria fortitudine dolores finiret,  
qui in discedendi confinio crescebant,  
demissis cervicibus veneratus Avum  
inter silentium discessit. Confuso tar-  
dem in itinere Joabus explicat; exilium  
quidem lenitum, sed vultu & conspectu  
Patris prohibitum. Ubi infelix audit:  
An usquam, inquit, tam infelix filius  
vivit, atq; ego? Miserum me! sicine  
abductus sum, ut majori infortunio  
mactarer? Satius erat in ignoto vivere  
regno, interq; Proceres haberi; quàm  
in patria in obscura domo: Citius me  
vitã deseret, quàm Patris conspectu ca-  
ream.*

ream. Si me admittet, vitam oro ;  
Sin minus, fata mihi celerrima mortem  
accelerent. Hæc & plura, ut anxius  
moeror suppeditabat, confusa mente  
volventem consolati tandē in urbem  
deduximus, certâ spe confisi, te nihil a-  
sperum in eum commissurum. Gratiâ  
dignus est, veniam meretur ; qva etiam  
inimicissimi digni interdum. Domi  
suæ jam degit, tuum expectans favo-  
rem. Quod igitur felix & faustum sit,  
tibi *Imperator*, totiq; populo Judæo, ab  
exilio revocatum *Absolonem* gratula-  
mur. Sed non oblitus sumus, & alte-  
rum huic beneficium exposcere. Te  
quidem ab universo populo publicæ  
justitiæ, regnoq; præpositum esse ; al-  
terum, te in contubernio *Dei* degente  
ab universa gente Principem expectari  
scimus : & nos à vobis & admoneri &  
regi, non vos à nobis debere, æquum  
est. Indicandum tamen erit, quid o-  
mnes bonos in vobis aut offendat, aut  
certè mutatum malint. Singulos cum  
intuemur, *Imperator, te, & filium ne-*  
*minem*

minem inter tot Optimates habemus, quem, si revocemur in suffragia, velimus vobis prælatum esse. Ambos cum simul adspicimus, vereri cogimur, ne quid gravius inter vos unius pervicacia, alterius procacitate eveniat. Nec tantum Reipublicæ proſit, quod omnibus nobis egregie placetis; quàm, quod alter alteri nullum favorem, nulla lenitatis ſigna monſtrare velitis, noceat. Inimicitias per annos multos vobis ipsis & graves & atroces alitis: quæ periculum eſt, ne olim nobis & regno, quàm vobis gravioreſ fiant. Cauſas & graves & prægnantes habemus hoc dicendi, multa eſſent, quæ dicerentur, ſi placabilem, ſi lenem te, *Domine*, haberem. Ignosce meæ confidentiæ, *imperator*, tanquam militari viro, cui à primis uſq; ungviculis vita in caſtris acta. Haſ ut hodiè deponatis, hiſ ut finem detis, quæ ſumus vos univerſi: Populus hoc optat: nec ab hac ſententia alienos Optimates video. Sic quos arctis conjunxit vinculis nativus amor, arctiori  
conjun-

conjunctos nexu clementiæ & reve-  
rentiæ tota optata regio. Uno animo,  
uno consilio tu, tanquam pater & Rex  
administres provinciam; *Legatus* ille  
tibi sit; ut hoc rudimento assvescat  
regno aliquando præesse. Jephtha, à  
suis in exilium pulsus, revocantibus  
paruit, inq; Ducem electus quanquam  
potentiâ, quanquam armis valeret,  
nunquam ingrata civitati exprobravit  
facinus. Benjamitæ casâ totâ fermè  
tribu, & ceteri Israëlita, in quorum  
campo aliquoties acie hostes concur-  
rerunt, ibi concordés tandem vixerunt.  
Non modò simulas, sed & bellum fi-  
nitur; ex infestis plerunq; hostibus fi-  
dissimi amici, interdum socii, inter-  
dum cives fiunt. Vulgatum illud: a-  
micitias immortales inimicitias mor-  
tales esse debere. Cui etiam subscri-  
bes, si te clementem Filio deprecanti  
Patrem demonstraveris.

DAVID

Inhumanitatis accusarer, si o-  
mnem precibus aditum negassem.

Jam

Jam verò ab exilio reductum aulæ immittere svadetis; ni hoc admittam, durus audio *pater*: Si facio, mollis: Exemplum quotidiè severitatis res exigunt, nec optimatum studio semper standum. Læti illis & ingentes sunt animi. Si legum habenis non tenentur, si, quicquid illis lubet, approbem, rebus publicis minimè erit salutare. Crebros exciunt motus; Inclinans in Reges invidiam. Sed hos premere aut extinguere, inhumanum & fortasse supra regias vires. Luceant; dum meminerint, cui Soli lumen hoc debeant, nec caliginem faciant meo orbi. In suspectos tamen animadvertendum; & quidem in expressos violatores, ne majus mihi pariant malum. Cavendum itaq; hoc ne Reum, & quidem exilio revocatum, quod maximum sanè beneficium, precibus cognatorum in totum poenâ liberatum donem. Nam vix ulla vulgarior fraus est, quàm istorum Procerum, qui non studio, non verò affectu, sed fortientium ritu se in  
ad.

adversa dividunt castra, in adversas au-  
las. Fratres, Affines, Patruales, propin-  
qui, amici, hic pro me, ille cum factio-  
so stabit, ut aut victoria, aut favore in  
utramlibet fortunam securi sint. Hos  
me maximè suspectos habere, æquum  
est; & si anxie pro cognatis suis inter-  
cedunt, propemodum hostes.

JO AB. *Strategus.*

Vers 34. Nihil nobis in tota no-  
stra actione, *Imperator*, neq; difficilius  
neq; molestius est, quàm quod cum te-  
ipso nobis disceptatio est, cum quov-  
no, maxime *Regum* & privata singulis  
foedera sanguinis & quod magis nos  
mover, publica Majestatis veneratio.  
Ceterum non animos nostros ulla Fu-  
riarum tempestas in *Regem* movet: nec  
lymphati malum ciemus: Sed preci-  
bus contendimus, ut nos liberi alio-  
rum libertatis causam agamus. In  
quam nos vindicat communis necessi-  
tas, communis deniq; natura. Ut-  
cumq; tamen seres habet, magis vere-  
cundia nostra, *Optime Regum* in te no-  
bis

bis obstat, quàm ipsa nobis disceptatio  
impedita est, aut tibi perplexam deli-  
berationem præbitura videtur. Nam  
si aliter *Filio*, Principi olim nostro fu-  
turo, hoc ipso concilio, de cuius salute  
agitur, nulla alia Clementiæ nota dari  
posset, nisi ab exilio tantùm revocatum  
in domum suam mittere; esset deli-  
beratio anceps, ne aut filium prodito-  
rem ablegares, aut amicorum preces  
pro ipso intercedentium susq; deq;  
ferres; Sed ab hac necessitate aut gra-  
tiæ in *Filium* minuendæ, aut amicorum  
precationis abrogandæ, egregiè te For-  
tuna vindicat. Est enim *Dei* benigni-  
tate non gloriosa magis, quàm vene-  
randa sceptri tui sublimitas, quæ te fa-  
cilè isto labyrintho exsolvat. Nam &  
revocare potes, & revocatum in tuum  
admittere conspectum. Hoc benefi-  
cium tanto lenitatis signo adjectum  
maximis te *Règibus* æquat. Licet ergo  
tibi & favore recipere filium, & non  
decedere æqvitatibus jure. Vel mea er-  
gate, *Imperator*, Pietas, vel præsentia o-  
mnium

annium nostrum obsequia fidem facere  
possunt, nobis hunc rigorem, hanc re-  
pulsam gravem admodum esse. Hoc  
enim tempore, nisi metus mœrorem  
obstupesceret, vix ita compos mei se-  
sem, ut aliqua solatia agro invenire  
possem. Cogor verò hujus, quod dif-  
ficillimum est, salutem unum consulere.  
Et, ne tam quidem, ubi, quoniam mo-  
do mœrentem, & nil nisi fata vocan-  
tem tristitia juvenem conservare possim,  
cogitandum est, avertere animum à  
mœrore libet. Præsto est enim acer-  
ba memoria, & Mahacæ me imago  
dies noctesq; curis insomniisq; agitatur,  
& excitatur sæpè somno, neu se, neu fi-  
lium, orbem & exulem patiar. Senex  
ipse Tholmai, à quo tibi tam sum-  
mam salutem, quàm imperii argumen-  
tum precari debeo, lacrimis me suis  
incendit, ut pro Nepote suo, pro filio  
tuo omnem lapidem moveam. Si per-  
severabis in irâ, tempus à te peto, quo  
funestam hinc legationem socero tuo  
Syrorum Regi referam, Sordidatus ille,  
sordi-



sordidata familia, sordidato deniq; toto  
Syrorum suorum agmine hic aderit,  
passurus quicquid patiendum erit. Scio,  
ingratum tibi hoc futurum consilium;  
sed in rebus asperis & gravibus fortissi-  
ma consilia sunt tutissima; Quia si in  
occasionis momento, cujus prætervo-  
lat oportunitas, cunctatus paulum fue-  
ris, ne quicquam mox amissam quæ-  
ris. Ibo hinc benè juvantibus auspi-  
ciis, & citra offensionem aurium sor-  
didatum adolescentem sistam. Erro-  
rem fasso, deprecanti eadem, veniam  
roganti, tuæ potius clementiæ, quàm  
juvenis culpæ, qui satis superq; pœna-  
rum dedit, memor, culpam remittes.  
Postremò fidem à nobis promissam  
tua autoritate confirma. Quid ab-  
nuis? Quid irâ candes? si neq; te au-  
toritas Procerum, neq; consanguini-  
tas, neq; humilis deprecatio, neq; in-  
tercessio populi quicquam movet; cer-  
tè filia tuæ gemitus, tristesq; lacrymæ,  
quam ad te jam tendere video, immi-  
tem animum movebunt. Videro,  
cessu.

cessurusne petitioni ejus sis, cui ob egregias animi dotes, ob affectus huic sexui plusquàm familiares tota lubentissimè natio cederet.

THAMAR. *Davidi Filia.*

Ne expectes, Domine, ut crimen Fratris objectum anxie diluam. Nec enim præ lacrumis possum, sic desiderio fratris concitata quotidiè consumor. Ex quo infortunio maectata, viduam domum habito nunquam me continuus dolor lætari permisit, Quo infortunio conflictata fuerim, rubor meæ faciei nesciis etiam notum facit. O fata! ô inimica fata! Tunc debuissim mori, tunc efflare animam, cum nascerer. Maledicta dies, diris devovenda hora, qua lucem hausi, quâ spiritum traxi! sic malis libera æternitatem tenuissim. Sin vivere constitutum erat, ut certè constitutum fuit, cur Superi miseram tantis formæ illecebris exornastis? Melius erat larvam esse, melius abjectæ formæ, melius despecti voltus, quàm tantæ turbæ originem nutrire, Sed lubri-

co

eo faciei speculo tantas turbas, tantas  
caedes excivi. Hæc forma incestus reas;  
hic rubor sanguine fraterno persper-  
sus; hic candor alterius sanguine pal-  
let. Non nego, Rea sum. Ego, ego  
infelix sceleris ansam subministravi; ar-  
canâ turpitudine labem contraxi; Ec-  
ce, manus sanguine rigent! tabo ubiq;  
corpus rubet! Catenas & catastas expe-  
rior, quibus alter impeditus. In da-  
mnatus sum. Hoc forma me ruit, hoc  
inimicum fortunæ donum. Utinam  
morbo deformata, utinam ferro cor-  
rupta hujus infelicitas fuisset prius,  
quàm terro scelerum contagio libata  
foret! Horum audacia ex mea depen-  
det culpa. Quidagam? quid primum  
conquerar? diversi me affectus distrin-  
gunt: inter *Reum & Patrem* distrabor.  
Hinc injuria est, hinc natura. Ego  
feci; ego ferrum in alterius necem exa-  
cui & distrinxi: Hisce manibus *Amnon*  
periit; non *frater* fecit. Ego parrici-  
dium commisi. Hæc forma, hæc fa-  
cies, hic voltus cædis autor. Prima  
peccavi,

peccavi, prima poenam sustinebo; non  
ille, quem furor meus, quem meae infe-  
licitatis noxa ad facinus adegit. Mife-  
rere *Pater*! Permite te appellare *Pa-  
trem Absolanem* meo suffragio inson-  
tem declaro! Me ream sisto! in me pa-  
nis desavi! forti, nec muliebri animo  
feram. Absolvatur ille; me triste sup-  
plicium hinc rapiat; nam & æquum est,  
ut insons iudicio eximatur. Moriar,  
non est hoc nocenti grave. Quid me  
intempestivæ proditis lacrymæ? nunc  
non est tempus flendi. Tunc erat,  
tunc, cum infelix forma *Amnonem* in te  
stimulabat; tunc, cum ægrotum invise-  
bas. Exilium merui, mortem merui;  
multi me affectus diducunt: necesse est  
de aliis querar, de aliis erubescam, de a-  
liis timeam, de omnibus etiamnum de-  
liberem. Certè *Imperator*, & quod  
maximum & præstantius, *Pater*, igno-  
visses, nisi inexorabilis esses. Me mi-  
seram, *Pater*! iræ tuæ detractum est, &  
tempori multum. Infeliciores sum,  
quàm si minus revocatus esset frater.

F — Miserere

Miserere *Pater!* scis, quam brevis sit ad-  
vocatio mea; quam inimica leti vis: si  
favorem fratri non impetro, è vestigiis  
transfiget. Si tibi tam pertinax adver-  
sus nos odium est, si tibi adeò contem-  
ptui sumus, si tuâ gratiâ indigni, auda-  
cter, quid sis facturus, pronuntia. Dic  
exorari te non posse. Quid me incer-  
tâ mortis expectatione suspendis? Miser  
ille sollicitus inter somnos quoq; velut  
admotum cervicibus suis ferrum expa-  
vescit. Si non impetro, ut vivat, ut te  
conspiciat, ut in integrum restituatur;  
hoc certè impetrem, ne diu tantis exer-  
ceamur mœroribus. Non est, quod  
putes, pœnam in numero dierum an-  
gustam fuisse: Pœna illius, diu mori.  
Responde *Pater!* Si servaturus es *filium*,  
si *filiam* jam tempus fuit: sin occisu-  
rus, jam tempus est. Non possumus  
sustinere ultrâ hæc tormenta diebus  
paucis. Et in nos nobis aliud licet.  
Me miseram! me infaustam! me ad-  
versis natam prodigiis! Tu meam vin-  
dicare pudicitiam, *Absolon*, potuisti;  
Ego

Ego tibi auxilio esse nequeo? Revoca-  
re te, in patriam & peregrina, & fictis  
quidem lacrymis potuit? Ego, & so-  
ror quidem revocatum *Patri* sistere  
placato non potero? Quid dicam?  
quibus me tibi excusabo, quæ te prote-  
ctorem, ultorem meum puto? Quid  
tibi olim, *Infelix Mater*, quæ nunc su-  
perorum frueris colloquio, dicam?  
Me non potuisse *Absoloni* salutem pro-  
curare, qui meam integritatem servas-  
set? At in qua causa non potuisse?  
Quæ grata gentibus, accepta Regibus.  
Supplicando nempe, crimen confiten-  
do, veniam precando. A quo non po-  
tuisse? A *Patre* qui vitam dedit. Quo  
deprecante? Me, *filia, sorore*: Vos *Pro-  
ceres*, vos *Optimates* appello! Auxilium  
vestro Principi ferre? Exorate *Patrem*,  
exorate *Regem*. Genibus nixi auxilio  
mihi sitis, *Regem*, ut ex voltu conjicio,  
in meam sententiam lacrumis fermè  
perpuli. Mihi non probabitur, qu-  
eum in aliam partem suis consiliis fle-  
ret. En optimatum studia videsi

En vota nostra percipis? Noli, obsecro  
te, *Domine*, pati, nobis acerbiorē, re-  
ditum esse, quā fuerit ejus discessus.  
Nam quis putet se restitutum esse, si di-  
strahatur ab eo, per quem restitutus est?  
Utinam fata fecissent (Pace tua *Casti-  
tas*, dixerim: Metuo enim, ne sceleratē  
dicam in te, quod pro Absolone dicam  
piē) ut raptor pudicitiae meae, temera-  
tor sororis suae non modō viveret: sed  
etiam *Princeps, Rex, Pater* patriae esset,  
antequam hoc exilium, hanc proscri-  
ptionem viderem! O fata! fortem, & a-  
te, o *Rex*, conservandum juvenem; fi-  
lium! Minimē, minimē inquit; Imō  
poenas ille luerit debitas: nos subea-  
mus, nos perferamus, si ita *Rex & pater*  
jusserit, non debitas, non meritas. Hic-  
cine *Princeps, filius* tuus, o *pater*, patriae  
natus, usquam nisi in patria morietur?  
aut si fortē pro patria, hujus vos memo-  
riam retinebitis, at corporis interim  
nullum sepulchrum esse patiemini?  
Hunc suā quisquam sententia ex hac  
aula pellat: quem cetera natio, cete-

ræ tribusâ vobis ad se vocabunt. O  
terram verè felicem, ubi exulaturus est  
*Absolon!* hanc ingratham, si proscripse-  
rit! Miseram, si perdiderit! Sed lacry-  
mæ vocem intercludunt, ut amplius  
loqui nequeam: Et hic se lacrymis de-  
fendi prohibuit, Te oro, obtestorq;  
*Imperator.* Site *Patrem* sentis, si tibi nō  
adeò invisus sumus, tot tantorumq;  
Procerum preces ne despice. Tua virtus,  
tua *justitia*, *fides*, *clementia* nos omnes  
tanto obstrictos merito in officio quàm  
promptissimos habebit.

DAVID.

Tandem ardentia precantium vo-  
ta lenierunt *Justitiæ* tenorem; tandem  
paternus rediit affectus, quo culpa in-  
dignum reddebat. Age *filia charissima*,  
surge, nec amplius lacrymas stilla. Et  
vos *Purpurati* adeste, video vestrum a-  
morem, quo Regis vestri filium profer-  
quimini; cuius magnitudine accensus  
noxam condono, priorq; omnem ini-  
micitiam ejuro. Sospes erit *Absolon*,  
*filius meus*, quem *JOABE*, huc sistes, ut

F 5 in-



intelligat, quid hic dies de ipso merue-  
rit.

ABSALON. *Regi filius.*

Verf. 35.

Quod arbiter mundi bene vortat,  
*Serenissime Rex.* & *Pater*, felicem tuæ  
Majestati successum, vitam diuturnam  
placidumq; senectæ cursum toto animo  
precor. Nec immeritò quidem; cum  
tua in me beneficia cognoscam, quibus  
me *fermè injuria temporum deturbâ-*  
*rat.* Cædem venio deprecaturus, quam  
à me extorsit libido fratris. Hac enim  
honestatis novercâ inflammatus titil-  
lationi affectuum, pravisq; inclinatio-  
nibus adolescentiæ epistrum minimè  
adhibens, non meæ tantum, sed & tuæ  
familiæ, *Domine* nō levem insperfit ma-  
culam. Monenti & castiganti ob in-  
signe hoc nefas respondit: Quid virtu-  
rem jactare, & naturam negare prodest?  
quis equus adeò elumbis & mutilus,  
qui visis equabus non semel atq; iterum  
adhinniat? quis adeò decrepitæ eta-  
tis, quis adolescentiæ adeò castæ, cui  
consp-

conspēctus puellarum non moveat su-  
spiriā? In rebus voluntati subiectis  
virtute aliquem præstare non nego: In  
naturalibus verò quilibet imbecillitatis  
sue memor sit. Si stipulas igni subtra-  
has, ardere desinet. Approperante æ-  
statis tempore hyemis perit austeritas.  
Tranquillitas succedit tempestati. U-  
bi Sol occiderit, terras non amplius  
collustrabit. Cum senex ero, ætas me  
& imbecillitas ab his desistere sva-  
debit. Sed nihil ex omnibus iis, quæ mulieres  
cum juvenibus joco dicunt, aculeo ca-  
ret. Quid amor, nisi improbus? Ideo  
summè custodiendus est oculus, quia  
janua cordis est & nuntius. Sed quia vi-  
rus, in interiora proserpens, medica-  
menta foris apposita non sentit, & lo-  
cus esse remedio desinit, ubi, quæ fue-  
rant vitia, mores sunt; pœnam incestu  
suo meritam habet, quam non mihi,  
non sorori, sed ipsius flagitio annu-  
merabis. Memor eris mandati in lege  
expressi, quo tale nefas expressis *Dei*  
verbis aboleri jubetur, ne quid mali re-

gio sibi impunitate illius contrahat. Nec fugâ mihi consuluissem, nisi primam tuæ Majestatis iram fuisset veritus. Scio enim, non semper suæ potestatis iratos esse Principes. Huic cedens ad *AVVM* me contuli, unde revocatus, in tuum conspectum productus, & tibi gratias ago, *Imperator*, & mihi reditum gratulor. Nam ad hunc diem flumina ac terras, & coelum quodammodo ipsum mihi in tuis me iracundiæ ardor, inimicorum obsequens monitis clâuserat: Ut colloquia, ut gratiam, ut congressus nostros arcerent; vel quod contumeliosius est, *Pater & Filius* mutuis sese armis, vel odio saltim conficerent. Sed ut reconciliatio nostra in æternum rata sit, ad conspectum tuum me admisisti: Liceat mihi in aula tua vivere, ut ante exilium. Quomodo lucem & vitam mihi dedisti; sic & arcem tuam filio aperi. Instituta, cultumq; patrium resumam; abruptis mœroribus, quibus in proscriptione mea nimium subjectus fui. Sincerus  
&

& integer, & odii oblitus tecum ero.  
Est præterea, quod nomine meo effla-  
gitem: Me aliquot inimicitis esse in-  
festum, ipse Rex nôsti; Nunc ut tutò  
hic vivam, regia fide sponde. Nam si  
cum Proceribus conversabor, cum  
Consiliariis sermones feram, si plebi  
me insinuabo, si ad res meas extra ur-  
bem curandas proficiscar, inimici mei  
aliquid invenerint, quo te in meam ar-  
mentædem. Audiendum erit non ab  
aliis solùm, sed etiam à te forsitan *Pa-  
ter, cupiditatù regni crimen.* Ego ve-  
rò, si in medio ponitur, non agnosco;  
quem enim suo loco moveo, ut ipse in  
ejus locum succedam? Unus ante me  
Pater es, & ut diu sis, Deos rogo, super-  
stes: Tibi ita sim, si merebor, ut ipse me  
esse velis. Hæreditatem regni si pater  
trades accipiam. Rumori de me ne  
fidem habeas. Unde quæque mei cir-  
cumstant inimici Hæ spes incertæ  
sunt, *Pater*; sed non inanes. Ita enim  
se res habet, periculum vitæ à me pro-  
pellere potes, non credendo iis, quo-

rum interesset, me fatis maectari: Si voluntati eorum successerit, mortem meam idem tu perfequi non poteris. Sed nec foedera, nec publicam fidem exspecto; sat erit manum tuam victricem, osculo non perfunctorio delibasse. Cui felicitatem, tanto folio dignam; mihi verò non aversam fortunam, quã animi devotione par est, precor, opto, voveo.

DAVID.

Præcipuus mihi scopus fuit, *Deus* testor, *Fili*, quo ad frugem redires. Nec hoc voto privatum me fuisse moderatus ostendit dies, qui te mihi, meq; tibi reddidit. Inimicorum, quos numeras, neminem novi. Tuum est delictum, quod patriã carueris: Cui redditus, assuesce, me vivo, illis curis, sine quibus regia dignitas sustineri non potest. Et, quod potissimum in regnante, disce silere. Pessimo loco sumus, *Absolon*, nisi pati injurias ita possumus, ut videamur non sensisse. Nam si pondere, quod nunc urget, flecti volumus;

mus;

mus; fortasse frangemur. Nihil tamen  
tam privataram, quàm publicarum re-  
rum potius aggrediari, quàm Justitiam.  
Hac sine nihil in toto orbe salvum e-  
rit. Nihil in Penatibus tuis venale,  
aut ambitioni sit pervium. *Potentia*  
*cauti*, quàm acrioribus consiliis fulta  
tutior habetur. Quippè qui benigni-  
tate & clementiâ imperium tempera-  
vere, his candida & læta omnia cesse-  
runt: etiam hostes fuerunt æquiores,  
quàm aliis cives. Nec dominatio-  
nem & servos, sed rectorem & cives  
cogita, Clementiamq; & Justitiam ca-  
pesse. Sævitia autem plus timoris,  
quàm potentiæ addit. Hinc metus &  
terror infirma vincula charitatis, quæ  
ubi removeris, qui timere desierint, o-  
disse iacipient: & repertis autoribus  
tollent animos. *Fidem præstabi*: Hanc  
frangere, quæ continet vitam, perfidi-  
osum & nefarium est. *Temperans sis*,  
sciasq; modestiæ famam, neq; summis  
mortalium aspernandam, & à Diis æ-  
stimari. Cuncta siquidem mortalium

incerta; quantoq; plus adeptus sis, tanto te magis in lubrico censeas, nec tibi aut facilitas auctoritatem, aut severitas amorem deminuat. *Beneficus esto;* Liberalitate enim nihil est naturæ hominis accommodatius. Sed cum modo, ne si ærarium ambitione exhausteris, per scelera supplendum sit. *Castus esto;* Animo enim per libidinem corrupto nihil honesti inest. *Conjugi vive deditus;* nec tamen conjugum imperiis obnoxius. *Iram fuge;* Principi viro honestius puta, offendere, quàm odisse. *Convitia sperne;* magnam fortunam magnus animus decet. *Convitia enim,* si irascere, agnita videntur; *spretæ exolescunt.* *Famam ne contemne;* sed cogita ceteris mortalium in eo stare consilia, quid sibi conducere arbitrentur: Principum diversam esse sortem, quibus præcepta rerum ad famam dirigenda. Nunquam enim ad liquidum fama perducitur; Omnia, illâ tradente, majora sunt vero. *Laus tibi, & posteritas in oculis,*  
censeasq;

cenſeasq; cetera Principibus ſtatim ad-  
eſſe : *Unum inſatiabiliter parandum,*  
proſperam ſui memoriam. *Doctri-*  
*nam nonnihil* ad hunc finem promove,  
quæ ſanguet : quoniam ſublatis ſtudio. &  
rum pretiis etiam ſtudia pereunt. Ea  
ſpiritum & ſanguinem ſub te recipiant.  
Ita temporibus tuis dicendis non de-  
runt decora ingenia. Sæpè audivi,  
eum primum eſſe virum , qui ipſe con-  
ſular, quod in rem ſit ; Secundum eum,  
qui benè monenti obediat : qui nec i-  
pſe conſulere nec alteri parère ſcit,  
eum extremi eſſe ingenii. Sed nec u-  
nius mens tantæ molis eſt capax, ut ſua  
ſcientiâ totum regimen complectatur.  
*Itaq; capiendi conſiliarii.* Nullum enim  
majus boni imperii instrumentum,  
quàm boni amici. Hos vitâ probos,  
prudentes, tam univerſè, quàm diſtin-  
ctè, ætate grandes, utriuſq; ſortis gna-  
ros teſtimonio plurium leges. *Maturè*  
*re deliberabu;* Timer enim , atq; eum  
omnia deficere videntur, qui in ipſo  
negotio conſilium capere videtur. Ca-  
veas,



”veas, ne inutili cunctatione agendi  
tempora deliberando consumas; Au-  
”dias cum iudicio sine pertinacia. Sen-  
”tentiam tuam cæla; fieri quid debeat,  
”cum multis tracta: quid facturus sis  
”cum paucissimis, vel potius ipse tecum:  
”ne præiudicio illo pereat libertas senti-  
”mentium, Regi contraria, aut se  
”frustra dissvadere credentium. Hinc  
Regum opes sæpius assentatio, quàm  
hostis evertit. *Bona consilia non præ-*  
*miu affice; ne quis spe adipiscendi à*  
*vero deflectat; sed nec mala suppliciu.*  
Defuturi enim sunt, qui svadeant, si  
malè svasisse periculum sit. Si quis  
privatim, sine publico Scito pacem,  
bellumq; fecerit, capital esto; Ordo si-  
quidem naturalis, mortalium paci ac-  
commodatus, hoc poscit, ut suscipien-  
di belli autoritas atq; consilium penes  
”Principes sit. Nullum autem bellum,  
”à quoquam optimè suscipitur, nisi aut  
”pro fide, aut pro salute. Hinc oportet  
injuriam passos pro se ipsis arma cape-  
re, sive pro cognatis & beneficis, ite inq;  
fociis

fociis, injuriâ affectis, auxiliari. *Justitia primum hoc munus est*, ut ne cui quis noceat, nisi laceffit injuriâ. Sed quis te in extraneos bonum esse credet, si in eos te justè non geras, quibus obligatus es? Itaq; fratres tuos, regno potitus, in quod te vindicat jus primogenituræ. Sorores tuas, meas demum Conjuges ita tractato, ut nec propter me, aliquando defunctum, Patris patrocinio careant: nec obfratrem, regnum administrantem insolentes evadant. Principes & Purpuratos ita tractabis, ut nec nimia lenitas rebelles pariat. aut suspecta ferocitas in Tyrannidem te adornet. Tibi inservientibus de victu & habitu prospicies; nec meos, me defuncto, inimico prosequeris animo. DEI honorem præcipue cogita, cujus ut curam majorem, quàm ceterarum rerum geras; volo, rogo, impero. Princeps enim, cui religio cordi, non est quod ullam fortunæ tristis procellam formidet. Ama Deum & amaberis; Cole Deum & coleris; metue & metue ris;

ris; honore affice & honore afficiéris;  
res auge circa sacrarum nempe ædium  
curam, circa Sacerdotum veneratio-  
nem, & tuas res augebit summa Dei  
dexteritas. Cogita Deo servire, tem-  
plum honorare, Sacerdotes venerari,  
res esse Principi non arbitrarias, sed ma-  
ximè necessarias. Faciendum id erit,  
quod Pater imperat; Satis plena ratio  
est, Patrem velle; Secus quanto aliis  
melioribus præeris, tanto melior &  
honestior esse debebis. Præstat autem,  
benè facere, quàm malè, & potestate  
contentum sui juris non meminisse,  
sed tantùm ad servandos homines po-  
tentiam tibi datam existimare; quoq;  
pluribus salutem dederis, hoc te illu-  
striorem fore. *Sed cave nimio vindi-  
ctæ ardeas amore!* Hæc te propediem  
perdidit; hæc te præscripsit; ab hac te  
consensus Procerum, & lacrymæ So-  
roris tandem absolverunt. Meruère  
hæc, ut antiqvaverimus legem, ut cul-  
pam dimiserimus. Vive igitur dubius,  
an majori irâ in exilium missus, an cla-  
rior;

rioni procerum ambitu revocatus fue-  
ris! Vive filiorum charissime, felicitatis  
deniq; plenæ compar, & in signum  
veniæ hanc dextram venerare. Vive,  
cæde illustratus, & meliori postmodum  
voto fruens pacatas Procerum, quibus  
hoc beneficii debes, mentes non levi  
gratiarum actione tibi concilia.

JOAB. *Strategus.*

Nullius est tantum flumen ingenii,  
Musa nullius tanta, quæ non dicam ex-  
ornare, sed enarrare, *Imperator* res tuas  
gestas possit. Tamen hujus sum sen-  
tentia (pace tua dictum sit) nullam  
ampliolem in his esse laudem, quàm  
eam, quâ hodiernâ luce potitus es.  
Licet enim antiquissimos nostræ gentis  
Imperatores in memoriam revocem;  
nullus tamen tibi comparandus. In-  
finitas hi hostium acies ceciderunt, po-  
tentissimos Reges infortunio macla-  
runt, regionem hanc incolis eripue-  
runt; Sed nec hi tibi comparandi, ne-  
dum æquiparandi. Tantas, tamq;  
bellicosissimas regiones tuis non di-  
cam

cam cursibus, sed victoriis illustratas  
memini. Edomitas, Syros, Arabes,  
Ammonitas, Nilum, Euphratem Ty-  
rum & Sidonem, Oceanum deniq;  
tuum jugum agnoscere constat. Quæ  
quidem ego nisi ita magna esse fatear,  
ut ea vix cuiusquam mens aut cogitatio  
capere possit, amens sim. Sed majora  
restant, sed clariora. Bellicæ enim lau-  
des non solis Ducibus partæ, sed ha-  
rum magnam partem militum sibi  
vendicat virtus; aut certè armorum  
exercitatio locorum situs, auxilia fo-  
ciorum, classes, comæatus plurimum  
huic conducunt. Sed præcipuè for-  
tuna. Hæc quicquid prospere gessit,  
sibi vendicat. Hanc præesse rebus hu-  
manis mortales somniant. At verò hu-  
jusce gloriæ, Rex, quam clementia tua  
adeptus, neminem socium, neminem  
adjutorem habes: Totum hoc cele-  
berrimum Clementiæ sidus tuam ex-  
ornat Majestatem. Non hoc ad Tri-  
bunos, non hoc ad Centuriones, non  
ad cohortes tendit, Nec ipsa fortuna:  
temeritas

temeritas sociam; in hoc se tibi offert.  
Tuum est, *Domine*. tuum est; tibi fors  
cedit, tuum hoc beneficium fatetur.  
Quippè nunquam fortis arrogantia Sa-  
pientiæ miscetur; non casus ad consi-  
lium admittitur. Prælio stravisti, &  
laceffitus quidem ferocissimos Reges,  
instruclissimos armis, ferocientes su-  
perbia, & omni turmarum ordine ex-  
undantes: Sed tamen ea domuisti,  
quæ vinci & potestas erat & animus.  
Nulla siquidem tanta virtus, tantus ar-  
morum horror, tanta virium copia,  
quæ non frangi possit: Sed iram cohi-  
bere, sed affectibus frænum injicere  
maximum virtutis exemplum. Non  
dico adversarium & exosum honora-  
re, in sceptrum recipere, quanta sit ani-  
mi nobilitas, quanta moderatio! Hac  
similis Deo audis: Itaq; *Domine*, bellica  
tuæ gloriæ monumenta non solum in-  
geniorum nostrorum ardor celebra-  
bit; verùm etiam, quod majus, exteræ  
nationes non levi præconio macta-  
bunt. Ejuscemodi tamen rebus, ut ut  
sunt,

sunt, videtur etiam clamore militum  
contradici, & turbarum sono legen-  
tium aures tubantur. At verò cum  
aliquid clementer & moderatè, justè &  
mansuete sapienterq; factum, præfer-  
tim ubi animus furore infectus, qui  
consilium impedit, aut ubi mens vi-  
ctoriæ licentiâ exultat, quæ moderatissimum etiam insolentem reddit, aut  
legimus aut audimus. quo ardore, quo  
amore tenemur? nec modo ubi veri-  
tas se immiscet, sed etiam in fictis, &  
lenocinio solum verborum adombra-  
tis? ut ignotos sæpè ut exteros amore  
prosequamur. Te verò cujus præsen-  
tia nos exhilarat, cujus ora, cujus sce-  
ptrum veneramur, ut eundem, quem  
pœnatalionis reposcebat, saluum esse  
velis, quibus tandem acclamationibus  
venerabimur? quibus studiis comites  
nos adjungemus? quo benevolentiz  
ritu excipiemus? Parietes mœcastor,  
*Domine*. ut apparet, hujus aulae gratias  
tibi agere videntur, quod Principem  
suum, quod tui stemmatis, tui sceptri  
haredem

hæredem in hanc revocaveris regiam!  
Hunc tu igitur diem tuis maximis &  
illustribus partis victoriis optimo an-  
tepones jure. Hæc enim victoria, hæc  
moderatio tui unius est. Ceteris du-  
cem te tantummodo præbuiſti. Quam-  
vis eæ magnæ quidem, imò maximæ;  
ſed tamen multo maximoque parte  
comitatu. Hujus autem gloriationis  
tu dux, tu comes. Tanta eſt, ut tro-  
phæis potior ceteris nullum ſit habitu-  
ra finem. Lividum temporis curſum  
ſubterfugiet hæc laus, nec lethæo e-  
mergetur alveo. Licet enim nihil  
vivat, nihil exurgat, quod non tempo-  
re pereat; tamen hæc tuâ moderatio a-  
nimi, hæc nobilitas indies magis ma-  
gisque effloſcet: ſic ut quantum anno-  
rum ſerie operibus tuis decedet, tan-  
tum afferat laudibus, tantum præco-  
niis. Erit inter poſteros etiam, ſicut  
inter nos diſſenſio; an plus victoriarum  
copia, vel æquitatis & clementiæ me-  
rueris argumento; cùm hodierno die  
teipſum viceris. Alii res tuas bello  
geſtas



gestas mirabuntur; aliis clementiafo-  
mitem non levem admirationis incen-  
det, sic, ut dicere audebunt, illud fati,  
hoc consilii fuisse. In servi igitur etiam  
posterorum iudicio, à quibus multis  
post temporum decursibus iudicabe-  
ris. Et quidem haud scio, an incor-  
ruptius, quàm à nobis. Nam & sine  
ambitione. sine favore, sine studio par-  
tium, sine odii professione, sine invidia  
deniq; calculo suo sententiam appro-  
babunt. Hoc autem etiam si tunc ad-  
te, ut quorundam falsa est opinio, non  
spectabit; nunc certè spectat, talem te  
esse ut tuarum laudum cumulos nun-  
quam sit antiquatura oblivio. Diversæ  
lites, diversæ cades, diversæ Procerū sen-  
tentia, de hac reductione fuerunt; nec  
enim consiliis tantum, sed & propemo-  
dū armis certatū. Multi dubitabant, an  
reductio hæc optima esset; multi, an sibi  
expediret? multi, an homicidæ gratiam  
dare deceret; nonnulli etiā exulem bello  
inquierabant: Sed hac diffensione Cle-  
mentia tuā defuncta est Respublica. Tuæ  
virtutis

virtutis fuit, non ultra modum odio sæ-  
vire Lenitate lenisti exulem. Nec il-  
lum, quamvis merito, iratus eras, exilio  
amplius aut morte dignum judicasti.  
Ingratus erit injustusq; , qui gravioris  
supplicii metu liberatus vindictam co-  
gitat : meliorem judicabo, si exul, si  
non civilis belli reus perierat. Quæ  
enim pertinacia quibusdam, eadem a-  
liis constantia videri potest. Sed quia  
jam omnis fracta est dissensio reditu  
Principis, Filii tui, & extincta æquitate  
Imperantis; restat ut omnes unum ve-  
lint, qui habent aliquid salis, aliquid sa-  
nitatis, te respicere, te vereri, te colere.  
Quia nisi te salvo, *Domine*, & in ista sen-  
tentia, quâ cum antea, tum hodiè vel  
maximè usus es, manente, neutiquam  
fospites vivere possumus. Quare o-  
mnes te communi suffragio, qui te sal-  
vum tuosq; esse volumus, & hortamur  
& obsecramus, ut vitæ, ut salutis tuæ  
consulas. Cunctiq; tibi (video enim  
ceteros id jubere) quod de me ipse di-  
co, quoniam aliquid subesse mali vere-  
ris,

ris, quod cavendum sit non modò ex-  
cubias, non modo custodias pollice-  
mur, sed & hæc membra, hi artus in  
defensionem tuam latera optimi Regis  
stipabunt. Sed ut oratio mea termi-  
netur, maximæ tibi à cunctis aguntur  
gratiæ, *Invisissime Princeps*. majores  
etiam habentur. Nam omnes idem  
sentire pro certo puta, quod omnium  
oculi affirmant, omnium manus polli-  
centur. Sed quia non est adstantibus  
omnibus necesse dicere, à me certè dici  
postulant, volunt contendunt, cui ne-  
cesse est quodammodo, & quod volunt,  
& quod *Absolone* à te huic regioni, po-  
puloq; Judæo & Regno reddito, præci-  
puè id à me fieri debere intelligo, nam  
latari omnes, non ut de unius solum,  
sed ut de communi omnium incolumi-  
tate video. Quod autem summi a-  
moris est, qui meus erga illum, nemi-  
nem hæctenus latuit, ut vix amantissi-  
mæ sorori cederem, præterea quidem  
nemini: cum id sollicitudine, vigilia,  
curâ tamdiu præstiterim, quamdiu in  
damnatis

damnatis fuit ; Certè hoc temporis  
magno labore, magna molestia, magno  
& assiduo mœroris onere liberatus præ-  
stare debeo. Itaq; *pater patria, Augu-  
stissime Regum*, gratias ago debitas, quòd  
omnibus me rebus à te non tantum  
præposito, sed etiam laudato, tamen ad  
tua extra numerum fermè posita in  
me unum beneficia, quod fieri vix pos-  
se animus prælagiebat, maximus hæc  
tui favoris nota cumulus accesserit.

## EPILOGUS.

**H**æcenus, Auditores Clarissimi. Ab-  
solon se nobis exhibuit corpore pul-  
cbrum, mente deformem. Se vobis ta-  
lem exhibebit in sacris Pandectis; talem  
sestitit Fratri, talem Patri. Idroq; in hoc  
vobis ob dona corporis commendando, aut  
in vitia ejus invehendo nolo esse prolixior,  
paucis de his post dicturus. Videmus au-  
tem in AMNONEM quadrare illud Phi-  
lonis: Leges contempta sui novent con-  
temptoribus, quamvis ad aliquod tempus  
seducti, & illecebrâ inescant. Succum-

G

638

bat ergò libidini ratio, neq; Filia Fratrum  
fidei à Patre credula commistenda. Ma-  
velis enim luporum fidei oves, quàm hù  
domestica virginitati custodiam commit-  
tere. Adeò nequicquam domestici hostiù  
evitantur insidia, quibus subseffores forma  
oculi metuendi!

Nullam etiam inimicitiam esse ca-  
pitaliorem, quàm si fratrum odium ex-  
ardescat, docemur ab ABSOLONE. Hinc  
animorum ab alienatio, & tandem cedes.  
Quippè hanc sibi causam è medio tollendi  
fratrem accipiebat, imprimù cum alias  
spes longè major sese ex hujus sublacione  
exhiberet; Fore enim existimabat, ut  
sibi subministraretur occasio regni frena  
ab obitu PATRIS capeffendi: quod fieri  
nequaquam posse perspiciebat, si AM-  
NON, natu major, superstes esset. Sed  
contingere ambitiosis, ut, cum maxime  
florent, & honorum telam feliciter texe-  
re exorsi sunt, repente ex rota culmine  
prosterantur, abundè docet ABSALON,  
cui in puncto temporù tela vite tribus ha-  
stis est abrupta, & vite filum miserime  
abscissum.

abscissum. *Est nunc cuiusq; libet ex  
Maximatum filii regno exturbaturus  
Patrem! Duo insigni exempla filii pro-  
hi notanda. Primum in AMNONE;  
quia enim fecit, quod non debuit, passus  
est, quod meruit: In ABSOLONE hor-  
ribile ex arbore suspendium, cui casaries  
quam in decus aluerat, pro teste erat, &  
longè horribiliores, vita exitum à με-  
ταμέλητων sequuti, aeternumq; in bara-  
throstygio sustinendi cruciatus. Itaq;*

Disce tuam FRATER reverentè ha-  
bere SOROREM,

Nec vivi fasces NATE appetuisse PA-  
RENTIS.

Illustre porro Mansuetudinis exemplum  
DAVID noster est. Non enim solum i-  
gnovit Parricide, sed & quo animi potuit  
favore, resipiscentem prosequutus est. Ve-  
nià Filium noxium beat, admittit ad con-  
spectum, & deniq; regni spe coronat. Fel-  
licem ABSALONEM, si cognovisset bona  
sua, si PATRI fuisset obediens! Sed spe &  
cupiditate regnandi ardens viribus suis  
ferox sollicitavit urbes, conscripsit milites,

iarbtrōs confiliorum in sua traxit studia.  
Patrem eiecit regno, hostilia quaq; in i-  
psum ausu, non cubili paterno abstinuit.  
In oculis totius populi, in conspectu Soli  
quotidiani Gynaceum defloravit. Quā  
impietate erectus in arma adversus Pa-  
trem ruit. Sed felici destitutus fortunā  
à JOABO, salutis sue antea procuratore,  
ut ante paucū attingi, tribus hastarum cu-  
ssidibus immanē peritum insuastam effla-  
vit animam. Extorsit atrocitatem re-  
medii ab amico, à cognato, impius in Pa-  
trem conatus. Melius fuisset & consul-  
tum, si exul, si extorris extra patriam vi-  
xisset: nunquam certē parricidio polluis-  
set manus.

Insignis haec clades Purpuratos mo-  
net, ne potestate & clementia suā nixi  
Sontibus noxam remittant. Quodsi  
ABSALON pœnam vel exilio, vel capite  
meritam luisset, nunquam impius impius  
sine pœnitentia emisisset spiritum.

Apparet insuper, injustam vindictam  
non sibi saltim, sed & aliis exitiosam esse.  
Cogitent, summum inter homines esse  
vinculum

vinculum humanitatem. Hoc qui dū-  
ruperit, nefarius & parricida existiman-  
dus est. Nam si ab uno homine, quem  
DEUS finxit, omnes sumus oriundi, certe  
consanguinei sumus. Et ideo maxime  
scelus putandum est, edisse hominem vel  
nocentem. Propterea DEUS praecepit,  
inimicitias per nos nunquam faciendas,  
sed si quae orientur, operam dandam, ut  
tollantur. Ita eos, quos sensimus hostes,  
necessitudinū admonitos mitigabimus. I-  
tem si ab uno DEO inspirati & animati  
omnes sumus, ecquid aliud, quam fratres  
sumus? & quidem animis, quam corpo-  
ribus conjunctiores? Ergo pro belluū im-  
manibus sunt habendi, qui homini nocent,  
qui eum contra jus humanitatis & fas o-  
mne spoliant, cruciant, occidunt, exter-  
minant. Ob hanc germanitatis neces-  
situdinem docet nos DEUS mala nunquam  
facere, bona autem semper.

Sed cum tempus nos moneat, a qui-  
tati vestra. Auditores Clarissimi, tan-  
dem consulere, ne tolerantia in audiendo  
hanc actionem abeat in malitiam; solem-



nem vobis omnibus gratiarum actionem  
habemus, quod nos differentes praesentia  
vestra animare & adjuvare volueritis;  
ultrò proficentes, esse hoc tale ac tantum  
beneficium, quod non inter mediocra,  
sed maxima numerari dignum sit. Nec  
diffitemur vos mendas nostras, quâ estis  
aegritate, excusatos: sed & plau-  
sum, sed & laudem à vobis  
expectamus.

F I N I S.



Est

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXX  
Etsi amice Lector, neq; Oeconomiam banc,  
neq; Parodias sequentes addere animus e-  
rat, tamen motus à Typographo de la-  
suni, ne tot paginae manerent vacuae, ista  
prorenatae suppleri visum fuit.

Sequitur ergo

**Oeconomia, sive Dispensatio**  
totius hujus ACTIONIS

Intröeunt omnes, & facto circuitu in  
medio consistit PROLOGUS, recitans  
totius ACTIONIS contenta.

Finita PROLOGI recitatione, ordine  
observato, omnes egrediuntur.

Exigua morâ interjectâ DAVID Comi-  
tibus CONSILIARIIS revertitur, unâ  
cum Secrerario, sive Actuario, qui  
semper ipsi est à latere.

Accedit AMASA, Viduam adesse  
nuncians, & pro ea, ut admittatur,  
intercedens.

AMASA DAVIDIS jussu egreditur,  
ipsam adducturus.

Habito cum Vidua DAVID, Colloq;

quo satis prolixo, ab ejus abitu cum  
Confiliariis de revocando ABSO-  
LONE deliberaturus  
SERAJAM Secretarium rem totam, ut  
evenerit, recitare (memoriter)  
jubet.

Post deliberationem & communica-  
ta consilia, SERAJAS Secretarius jus-  
su Regis vocat JOABUM:

Quo praesente REX loqui pergit, e-  
umq; dimittit Gesurem abductum  
inde ABSALONEM.

Post JOABI, ABSALONEM Gesure re-  
ducturi, discessum, paululà morà  
interjectà.

AMASA DAVIDEM alloquitur, ro-  
gans, ut in conspectum ABSALO-  
NEM admittat.

ABISAI recenset desiderium ABSA-  
LONIS, quo REGEM PATREM  
videre tereatur.

Post REGIS responsum JOAB idem a-  
git, pro ABSOLONE admittendo  
supplicans.

THA-

THAMAR, Absalonis Soror uterina,  
admissionem ejus precibus tandem  
multis impetrat.

ABSALON verba ad PATREM facit.  
PATER optimis FILIUM, in gratiam  
receptum, præceptis informat.

JOAB, tandem agit gratias recepti in a-  
miciriam paternam FILII.

EPILOGUS sequuta paucis narrat,



G s

Ex



*Ex Tirocinii*

**ELIÆ SCHEDII, P.L.C.**

Filii mei, p. m. Anno ætatis XII.  
editis.

**Parodia in Oden XV, lib. I.**  
Carm. Horati.

*Perioche.*

Successu Isaidæ læto cum blandula risit  
Sors, atram passus pestem est, & tristia  
bella.

Ne tibi fortè sient etiam his majora fe-  
renda.

Euge timeto DEUM, & sortem reve-  
renter habeto,

Sub risu hæc vendit lacrimas, dum  
gaudia monstrat,

Insidias homini quasvis parat, exitiûq;

**D**avid, luxuriâ fractus & otio,  
Pulchro ut deperiit corpore Bathse-  
bam;

Insensu monuit JOVA ter optimus,  
Vates ut caneret fera.

Nathan

Nathan fata. Mslâ natu avi puer.  
Quem multû repetit JOVA doloribus,  
Furtivum satagit rumpere gaudium,  
Regnum ac hocce tuum recens.  
Eheu! quantum equis, quantum & est virû  
Sudor? Quanta mores funera in Israël?  
Latrones habet Adonia plurimos,  
Currusq; ac equites parat.  
Ne quicquam Absalomo presidio feror  
Formæ, ac cosarie conspicuus tibi  
Quas turbas movet, & quas lacrymas ciet  
Ne quicquam thalamo tuo  
Parcit, jura trahitq; in sua pellices.  
Pestem ac perniciem quin patria struens  
Trajectum triplici cuspide ab arbore  
Pendebit rutilâ comâ.  
Non Ahinoaden (imnonem) exitium sue  
Vitæ; Non Geradæ (simei) probrag; respi-  
cui?  
Urgent impavidi te Seba Bichrides  
ac pugne Raphades (jesbi) sciës.  
Hostes sive opus est sorie lacessere  
Non Achletapiger. Pestiferam & luem  
Nosces, que populum sternet at rociter  
Per fastum excita maximum.  
G 6 Verum

Verum Jovafonos supplice fletuum  
Fufos corde lubens audiit; ac tuis  
Conceffit precibus, quæftibus ac, locum  
Ultrò & crimina fufcepit.  
Iratu fccleri JOVA tamen fibi  
Infenfos malè cum dicere fecerit,  
Post feptem dabit beu! filiolum dies  
Susceptum è i balamo hoc neci.

---

Parodia ad Oden 4.  
Lib. 2. ejufdem.

Perioche.

Est in juventâ, est in fenectâ dedecus  
Scortarier; sed in fenectâ maximum.  
Nã quò Senes leto magi sunt proximi.  
Hòc nictibus finti fanctiores fingulû.

Profopopœja Judicum Mæ-  
chorum. Sufann. v. 20.

**N**E fiet nostri tibi amor pudori  
Filia Helchie! tumidum Golie  
Cæde Jesfiden niveo colore,  
Barbseba movit;

Movi

Movit *Amnonem* Patre Rege natum  
Forma formosæ *Thamaris* Sororis;  
Arfit & *simson* mediò in triumpho

Ipse puellâ

Hostium fruges periére postquam  
Igne direptore; & adempta conjux  
Compulit de gente inimicâ *Jovæ*

Sumere pœnas.

Nescias, an, *Svaviolum* ô venustum  
Te *Senum* cani decorent capilli!  
Alba sunt certè roseis honoris

Lilia fertis.

Nos tibi non de stolidâ esse crede  
Plebe delectos; neq; sic fidelem  
Sic tibi quænvam fore sanctiori

Ecœdere junctum.

Brachia, & vultus, teretesq; furæ  
Perplacent nobis; requies senectæ es  
Sola tu nostræ, magis esq; nostris

Chara medullis.

---

Ad Oden 13. Horatii, Lib. 1.  
Ad Potipharis uxorem. Gen. 49

*Periocha.*

Qui ad summum satagis culmen con-  
scendere honorum, Pare





*Alia,*

Ad Catulli LII carmen.

Profopopæja Sulamithæ ad Sa-  
lomonem, vel Ecclesiæ ad Chri-  
stum. Cant. 5. 10.

**P**rospero hic fato datus atq; natus,  
Et DEO summo similis videtur,  
Albidis qui te labiis decorum  
atq; rubellis.

Adspicit, planè misero quod omnes  
Eripit sensus mihi; namq; robur  
Redditur viso geminum imminutis  
Rege lacertis,

Qvica put fulvo redimitus auro,  
Crimibus tortis nitet & nigellis,  
Pulcra Sapphirus digitos honestat  
Atq; Pyropus.

Svavium est svavis mihi svave Amici  
Svavio exulto, nimiumq; lator  
Svavium ingratum minùs est amico  
Pectore ductum.

*Alia*

Alia

Ad LVI. Catulli.

Profopopoeja Sulamithæ ad

Salomonem. Cant. 3, 1.

**V**obis si minus est, rogo, molestum,  
Explanate, ubi sit meus maritus,  
Quem quæsimus aureo in cubili.  
In circo patula urbū ac tabernū  
Nec non in plateis & angis portū  
Et quævis simul ambulatione?  
Civicos vigiles adorta, vultus  
Quos vidi placido, benigniore  
Voce: numne meum, rogabam, Amicum  
Vidisti, quem amo plus meū ocellis?  
Namq; dūm faciem tuam reducis,  
Et te, vescio, quo loco recondū,  
Temet quætere maxime est laborū.  
Tanto tene neges Amice fastu?  
Dic, quæ te capiat recessus? ede  
Num te maceries recondit agri,  
Aut num te tenet urbū angiportus?  
Si linguam retines in ore clauso,  
Fructus perdidisti pudici amorū.  
Casto haud dedecori est loquela amorū.

Vel

Vel si occcludere collibet labella,  
Sis tui modò particeps amoris.  
Nòn si Zeroadæ pedum valenti  
Cursu consimili ferar, volatu  
Nòn si Eurum exsuperem, citas vel arcem  
Extortas facili manu sagittas,  
Adde hù plumipedes, volatilesq;  
Eluminumq; simul require cursum,  
Quæ conjuncta mi amice, mi dicares.  
Imò fessa tamen prius medullis  
Langua insuper atq; multo adesus  
Essem te, mi amice, quaritando.

Alia.

Ad Oden Horati VIII. Lib. II. carm:

Israël non modò non fit me-  
lior; sed indies, quòd dolendum,  
deterior. Jerem: 8.

Periocha.

Quam sceleri infando insensus fiet ipse Je-  
hova.

Deditus idolis Grex docet Isacidum.

Ne

Ne tibi confimile, aut pejus fiet expectan-  
dam,

Ta votū Jovam flectere disce piū.

**U**lla, si sanæ tibi mentis esset  
Micula, ô proles Sphramaæ, licita!

Si rubor testis sceleris nefandi

Ora notaret!

Crederem; Sed tu simul ac dicasti

Perfidum idolis cor, ab ore castus

Heu! pudor migrat, populiq; prodis  
publica fama.

Te juvat Regū sacra jura summis

Temnere, & quæcunq; monent piorū

Docta venturos aperire casus

Carmina vatū,

Sed dolos ridet DEUS ipse vastos,

Ridet & ficti pia corda vultus,

In malos vindex scelerum trifulca

Fulmina mittens.

Adde, quod crimen tibi turpe crescit,

Indies crescit facinus, priorum.

Nec subit mentem scelerum Jove

Ultio justa.

Hinc es invisa omnipotenti Jove,

Atq; cælestū alituum catervæ,

Voce

Voce quæ Jove memori canunt præ-  
conia laudum.

*Alta*

Ad Oden VI. lib. II. Horati car-  
minum.

Ad Sulamitham, Cantic. 2. & 5.

*Periocha.*

Depredicanda Regna sunt felicia,  
Castella non munita, propter aut o-  
pes  
Magnas; sed ob pacem omnium re-  
rum optimam.

**S**ulamitha ô lecto abitura molli,  
Et soporem docta fugare blandum,  
Anxias & quæ pia sæpè mordent  
Pectora curas,

Saxea tecum, mea lux, cavernæ  
Sint mea sedes utinam juvenia!  
Sit modus tandem gemitus profundo  
Pectore ducti!

Fata fin verò prohibent iniqua  
Euge odoratû repetemus herbû

*Con.*

Consitum, nec non crocei nitentibus

Floribus hortum.

Ille terrarum mihi prater omnes

Hortulus videt; ubi non palato

Mel abest gratum, lacrymæq; certant:

Thura Sabæi.

Ver ubi blandum tepidæq; calum

Suggerit brumæ, & amica Baccha

Fertili tellus minimum rubenti

Invidet uvæ.

Ille te mecum locum ac amœna

Postulant vites; ibi me videre

Eas tuam, quæso, faciem venustam, au-

diræq; vocem.



Errata

## ERRATA.

- A. fol. 2. p. a. lin. 10. incitatas.  
A. 5. b. l. 14. Erat huic Soror.  
A. 6. a. l. 16. Jesraëlitide.  
A. 7. a. l. 10. Quiyis.  
A. 7. b. l. in amicorum.  
A. 15. a. l. 22 itaq; vocat.  
B. 1, b. l. 13. deleantur: (Hæc omittuntur.)  
C. 1. a. l. 22. Servarum.  
4. a. l. 2. vindex sanguinis.  
ib. l. 24. latam.  
9. a. l. 18. sceptrum.  
11. a. l. 19. depererat.  
F. pag. 2. ib. l. 21. memoriam.  
ibid. l. ult. pellet,  
4. b. l. 11. mihi tuus in me.  
8. b. l. 20. proscriptit.




















Voce quæ Jova mem

CON

Al

Ad Oden VI. lib

minu

Ad Sulamitham

Perio

Depredicanda Re

Castella non mu

pe

Magnas; sed ob p

rum op

**S**ulamitha d lecto

Et soporem docta

Anxias & quæ pia sa

Pe

Saxea tecum, mea lu

Sint mea sedes utina

Sit modus tandem ge

Pe

Fata fin verò prohibe

Euge odoratu repet

